

THEOLOGIAE
DOGMATICAE
LECTIONES.
TOM. V.

MICH. ARCHANGELI LVPVLI

ACADEMICI HERCULANENS. NUNC S. METROPOLITANAE ECCLESIAE COMPSANAE ARCHIEPISCOPI

THEOLOGIAE DOGMATICAE LECTIONES

TOM. V.

EDITIO ALTERA.



In antiq. gemma ap. Auctorem





NEAPOLI

EXCVDEBAT RAPHAEL MIRANDA

MDCCCXXX



THEOLOGIAE DOGMATICAE LECTIONES.

LIBER QUARTUS

DE PRIMO HOMINE EJUSQUE PRAEVARICATIONE.

Divino sex dierum opificio explicando liberatos, hominis historiam persequi iubet institutum. Duplicem hinc scrutabimur humanae naturae conditionem, *innocentis* nimirum, quam in ipso in vitam ingressu nactus est primus homo, et *corruptae*, in quam mox est per peccati fraudem delapsus; et in qua, vitiata sati ab stirpe parentis, miseri nascimur omnes, donec per baptismi gratiam in statum naturae, in CHRISTO IESU Salvatore nostro reparatae, feliciter renascamur.

CAPUT I.

DE HOMINE INNOCENTE.

SECTIO I.

Adam humani generis parens. Peyrerii deliramenta dispelluntur. Scripturae explicantur.

I. Pestiferae opinionis portentum in lucem elapso saeculo protulit Isaac Peyrerius, domo Burdigala, secta Calvinianus (1). Contendebat quippe, non esse Adamum primum hominem, sed Judaeorum tantum parentem, eique alios, atque alios homines praecessisse: Diversum esse hominem, qui *Geneseos Cap.* 1. plasmatus narratur, ab eo cujus altero capite formatio exsequitur: Ab illo praeadamitas, seu gentiles propagatos; ab Adamo vero longa post annorum intervalla condito, Ju-

---

(1) Medicus iste, non Theologus, opus edidit anno MDCLV. cui inscriptum: *Praeadamitae; sive exercitatio super versibus duodecimo, decimotertio, et decimoquarto Capitis V. Epistolae Divi Pauli ad Romanos.*

daeos ortos: Illius vix meminisse sacrum historicum, deque filiis posterisque eius siluisse (non enim id agebat), ad huius vero propaginem exponendam totum incubuisse, ut qui Judaeorum historiam contexendam susscepisset. Ex his et alia dabat fabulae consectaria, nimirum Noachicas aquarum inundationes non universo orbi incubuisse, sed tantum ubi Adami posteritas inhaeserat; nec proinde populos omnes ex Semo, Chamo, et Japheto derivare. Postremo Adamum Divino refragatum mandato, crimen in orbem invexisse, non omnibus, sed suis tantum posteris nociturum. Haec nimirum fabulatoris Peyrerii commenta, qui tamen quantum quantum est erroris monstrum, Romae una cum Calvinismo ejuravit, Alexandro VII. Pontifice Maximo.

II. Profecto fabulam narrasse sat est, quo abunde refutata dicatur. Si enim Scripturas attendamus, proh Deus Immortalis, quanta adversus Peyrerium testimonia! Mittam autem argumentum potentissimum ex *Gen. Cap. V. Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum: masculum, et feminam fecit eos, et benedixit illis*, quibus eadem, atque ipsissimis verbis recoluntur; quae Ca-

pite I. narraverat. Porro enim aperte *Gen. Cap.* II. habetur: *Et homo non erat, qui operaretur terram*, quibus sua constare veritas non potest, si praeadamitas homines tunc fuisse creatos fingatur. Habetur amplius, Adamum primum rebus omnibus nomina imposuisse: *et omne, quod vocavit Adam animae viventis ipsum esse nomen eius*. Quid quod Eva *mater cunctorum viventium* dicitur *Genes. Cap. III.* 20. Ut vero ex Genesi solvam, innumera in aliis Scripturarum libris testimonia supersunt, quae neque interpretatione, neque minimo indigent glossemate. Huiusmodi est illud Sapientiae *Cap. X.* 1. de Adamo: *Haec* (sapientia) *illum qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, quum solus esset creatus, custodivit.* Nec minus illustre est Apostoli effatum *Act. XVII.* 26. *Fecitque* (Deus) *ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.* Re enim vera Gentium regna, et principes post diluvium (*Gen. X.*) ortum duxisse narrantur ex Semo, Chamo, et Japheto filiis Noe, qui ad Adamum originem suam referebant. Quid reliqua persequar, quae tanta sunt, ut non sinant, nos diutius fabulae immorari?

III. Opponat quantumlibet Peyrerius verba

Genes. IV. 2. *fuit Abel pastor ovium, et Cain agricola*, quum nulli essent homines, qui oves rapere possent. Opponat verba Dei ad Cain *v.* 6. *cur concidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit*, ut si per fores heic tribunalia indigitentur. Opponat verba Caini: *omnis qui invenerit me, occidet me*, quum a nullo illi timendum esset, non dum enim Adami multiplicata posteritas. Quid hisce tamen efficiet, nisi ut post cantatam fabulam sibilent cuncti? Quod ad primum pertinet: gregibus non ideo tantum praesunt pastores, ut a furibus, et lupis custodiantur oves, sed ut ad salubria ducantur pascua, ut in caulas reducantur, ut lac emungatur, ut opportuno tempore tondeantur. Ad alterum: fores heic non sunt tribunalia; sed propriae conscientiae agitationes, quemadmodum ille de impiis dixit:

> *Nocte dieque suum gestant in pectore testem.*

Quid quod το *in foribus* metaphorica locutio est, sacris, profanisque Scriptoribus frequentissima. Hinc Judicium supremum *Marci XIII.* 29. dicitur *in ostiis esse*. Et in *Epist. Jacobi v.* 9. *Ecce Iudex ante ianuam adsistit.* Plutarchi vero notum est adagium: *febris est*

in foribus. Ad tertium: Abel occisus fertur anno a mundo condito CXXX. nam Abele occiso, Adam cognovit uxorem suam, quae peperit Seth, quod nonnisi eo anno contigit, dicente Scriptura: *Vixit Adam CXXX. annis, et genuit filium, vocavitque nomen ejus Seth*. Habebat itaque quos timeret Cain; timebat enim fratres, filios, ac nepotes suos, quos per CXXX. annorum intervallum ad multa centena millia multiplicatos fas est credere.

IV. Neque proinde id moveat quemquam, quod Moses enarrat (Genes. IV. 17.) *Et aedificavit Cain civitatem, vocavitque nomen eius ex nomine filii sui Henoch*, quasi urbem vel aedificare, vel communire civibus haud potuerit, si nulli praeter paternam familiam, quam deseruit, toto terrarum orbe homines essent. Sed quid opus alios, quam ex Adamo propagatos, homines comminisci, qui istam aedificarent, incolerentque civitatem? Sane ex chronologiae calculis exactioribus constat, positam a Caino civitatem anno ab orbe condito quingentesimo. Porro quis miretur quingentorum annorum spatio ab uno Adamo propagatum adeo genus humanum, ut esset unde constituerentur non civitas una, sed innumerae? Rem Scripturis evincam. Per

annos non amplius quadringentos ex uno Abrahamo tanta ex foemore eius procreata est hebraicae gentis multitudo, ut in exitu populi de Aegypto sexcenta et amplius hominum millia numerati sint (Exod. XII.) qui, quod omnino stupendum, ex sola Iacobi linea propagati erant; sexcenta, inquam, millia hominum tractandis armis idonea, hoc est demptis mulieribus, pueris, senibus; demptis quoque Levitarum duobus supra viginti millibus ad Tabernaculi ministerium, ac custodiam excubantium. Si his omnibus adderes integram Idumaeorum gentem, quae ex ipso Abrahamo per Esau lineam ducebatur. Si et superadderes Ismaelitas universos, qui ex Abrahami semine ex Agar ancilla sunt procreati, quique regionem universam ab Euphrate ad mare rubrum occuparunt, profecto millies mille hominum millia, et eo amplius numeraremus ex uno Abrahamo per annos plus minus quadringentos. I nunc, et fabulatori Peyrerio, si potes, vel aures, vel stomachum adcommodato.

V. Ne quid vero praeteriisse videamur, obiicit postremo Peyrerius Apostoli verba *ad Rom. V.* 13. *Usque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, quum lex non esset. Sed regnavit mors*

ab Adam usque ad Mosem, *etiam in eos*, *qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*, *qui est forma futuri*. Quae sic interpretatur; *usque ad legem* (nimirum Adamo datam, *peccatum erat in mundo* erant ergo ante Adam homines peccatores). Resiste parumper! Parallelos Apostoli locos habemus plurimos, quibus quum de lege loquitur, nonnisi in Mosaicam omnino intendit; quod ubi advertas, exsufflata est difficultas (2). Igitur hic Apostoli sensus: Ab Adamo usque ad Mosem peccatum erat in mundo, tametsi nonnulla actualia ante legem Mosaicam minus imputabantur, ex defectu perfectae cognitionis legis naturae, unde Apostolus idem VII. 7. *peccatum non cognovi*,

---

(2) Ad Rom. X. 4. *Finis legis Christus*, *ad iustitiam omni credenti. Moyses enim scripsit; quoniam iustitiam*, *quae ex lege est*, *qui fecerit homo*, *vivet in ea.* Ad Galatas III. 17. *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est*, *donec veniret semen*, *cui promiserat*, *ordinata per Angelos in manu Mediatoris*. Et vers. 24. *Itaque lex Paedagogus noster fuit in Christo*, *ut ex fide iustificemur*. Cuiusmodi exempla patent *Math. V.* 17. *XXII.* 36. 40. *Lucae XVI.* 16. *Ioan. I.* 17. *VII.* 19. Quae legem absolute dictam, non aliam a Mosaica intelligi abunde probant.

nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : non concupisces.

VI. Scio Peyrerium ex profana maxime historia praesidium fabulae adscivisse, siquidem Chaldaei, Aegyptii, Aethiopes, Scythae, Babylones, Sinenses, Americani, multa annorum millia ante Adami formationem numerant, ut ex Diodoro Siculo constat, et Herodoto. Verum satin quis sanus mentis, aut animi, qui istarum gentium epochas non puras putas chimaeras habeat (3), tum e fidelioribus ejusdem profanae historiae monumentis, tum ex artibus, nonnisi post Adamum excogitatis, quem ante ne nomina quidem animantibus erant; tum demum e Mose

(3) Audiatur Tullius adversus Chaldaeorum supputationes *lib. I. de Divinat. Cap. XIX. Condemnemus hos aut stultitiae, aut vanitatis, aut impudentiae, qui CCCCLXX. millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent.* Idem dicas de Aegyptiis, Sinensibus, aliisque Populis. Confer hanc in rem Cyrillum Alexandrinum *Lib. I. contra Iulian.* Ubi in profanae historiae monumentis summa eruditione versatur. Addas Calmetum *Chronolg. Aegyptior.* itemq. Stephanum Formontium in *Animadvers. Critic. ad Hist. Chaldaeorum, Hebraeorum, Phoenicum, Graecorum cet.* usque ad Cyrum Parisiis 1735.

ipso, nec hominem, nec annorum periodum ante Adamum admitti sinente (4)? *Frustra* (inquit Augustinus *Lib. XVIII. Cap. XL. de Civ. Dei*) *garriunt quidam, ex quo rationem siderum comprehendit Aegyptus amplius quam centum annorum millia numerari.* Quibus refutatis, ex eo quod Isis a qua litteras illi didicerunt, Patriarchis posterior fuerit, haec e vestigio addit: *Quum ab ipso primo homine, qui est appellatus Adam, non dum sex millia annorum compleantur, quo modo non isti ridendi potius, quam refellendi sunt, qui de spatio temporum tam diversa, et huic exploratae veritati tam contraria persuadere conantur? Cui enim melius narranti praeterita credimus, quam qui etiam futura praedixit, quae praesentia iam videmus.*

VII. Haud autem nova, ut hoc etiam postremo moneam, Praeadamitica est insania, quae et in libro Cazrai occurrit, ubi Judaeus

---

(4) Volterius ipse se tenere non potuit quin in *Philos. Hist. Cap. XVII.* testaretur, in Rituali veterum Brachmanorum, primum hominem dici *Adimum*, primamque feminam *Procritem*, quod Brachmanica lingua tantumdem est ac latinis *Vita*; quemadmodum et Hebraice *Eva* nonnisi *Vitam* sonat. Supervacaneum duco huiusmodi monumentis morari.

auctor aedificia quaedam apud Indos ante centum annorum millia memorat, et ex vetustis monumentis, nescio quos Jambuzar, Zagrith, et Roanum homines videlicet Adamo antiquiores obtendit. Ex quibus Iambuzar (hunc vero Rabbi Maimonides in More Nevochim Tambuscam adpellat) qui Adami in litteris institutor praedicatur. Nimirum ex hac fabula non praeadamitae tantum obtruduntur; sed quod longe absurdius, ipse Adam ab aliis hominibus et genitus, et institutus. *cet.* Non diversa somniat Rabbi Abrar ex Japhar Turcici generis homine. Sed sit demum finis ineptissimis nugis, quas vel etiam deridere profecto pudet.

S e c t i o II.

Homo quatenus κατ' εικονα secundum imaginem Dei factus dicatur. Graecorum, Latinorumque Patrum sententiae expenduntur.

I. Iam vero illud accuratissime nunc perscrutandum mihi est, quaenam illa Dei imago sit, ad cuius rationem Deus hominem effecerit,

de qua clarissimos quosque Patres, ac Theologos certantes adhuc, variasque distractos in partes video. Neque tamen pugnam heic cum Audio, eiusque sectatoribus ineam, qui, quippe corporeum statuerint Deum, aut saltem corpoream in effingendo homine assumpsisse figuram putarint, non alibi quam in humano corpore Divinam imaginem depictam adseverabant (5). Etenim adversus crassam intolerandamque istorum depravationem universa stetit antiquitas, nec in praesenti iuvat in refutandis fabulis tempus, operamque consumere.

II. Porro quamvis ex veracissima ratione, ex Scripturarum auctoritate, et Maiorum perpetua traditione compertissimum sit, et apud omnes confessum, non in exteriori homine

---

(5) Non parum ablusisse Eugubinus videtur in *Cosmopooeia*: *Accessit filius*, inquit, *ac Verbum Dei ad creationem humanam*, *in forma*, *imagine*, *habituque humano*, *gerens speciosissimam*, *divinissimamque formam*. Satis est quod Eugubinus veteres omnes Patres contrarios habeat, qui adversus Judaeos, et haereticos το *faciamus hominem ad imaginem*, *et similitudinem nostram* non Filio tantum, sed toti Trinitati vindicarunt. Quid quod non in carne, sed in interiori homine ista imago quaerenda, ut infra dicendum.

Divinam imaginem collocandam, sed in eo quod interius est, nec in sensus incurrit; qua tamen mentis in parte illa potissimum sit posita, haud ita facile statuas. Sane Clemens Alexandrinus *Lib. II. Strom.* imaginem, et similitudinem hanc nonnisi in ratione, intelligentiaque positam vult, quod eo convenientius puto, quod Verbum ipsum, quae Patris imago propria, et primigenia est, cognitione producitur, et ad mentem, atque intelligentiam praecipue spectat. Quid quod rebus omnibus, quas habet homo, excussis, non alio ceteris animantibus praestare illum videas, quam intellectu. Atque haec quidem Sanctissimi Hipponensis Pontificis Augustini expressissima sententia est (*Tract. III. in Ioan.*) *Non distas a pecore, nisi intellectu. Noli aliunde gloriari. Unde ergo melior es? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? in mente, in intellectu.*

III. In eamdem porro imaginis rationem conveniunt Gregorius Nyssenus, Cyrillus, Damascenus, atque Ambrosius (6), nisi quod

(6) Nyssenus *Lib. de hom. opif. Cap. IV.*, et *Orat. Catech. XVI. Cap. V.* Cyrillus Alexandrinus *Lib. IX. in Joannem*; Damascenus *Lib. II. de fide Orthodoxa*; Ambrosius *Lib. VI. in Hexaëmer. cap. VIII.*

non in una intelligentia, sed et in libere quidvis eligendi facultate positam illam existimant. Tertullianus vero in libero tantum arbitrio hominem ad imaginem Dei ratus est, signatum: *Liberum* (inquit *Lib. II. contra Marcion.*) *et sui arbitrii, et suae potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem, et similitudinem Dei in illo animadvertens, quam eiusmodi status formam. Neque enim facie, et corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expressus est: sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est animae, ad formam Dei spondentis, et arbitrii sui, libertate, et potestate signatus est.*

IV. Sunt tamen qui hanc in homine Divinam imaginem, similitudinemque in virtute malint sitam. Ita Chrysostomus in Homilia de hoc argumento; a quo non dissentit Severianus Gabalorum Episcopus *Hom. V. in Hexaemer.* qui sanctitatem, et iustitiam, huiusmodi censuit imaginem: *Quid est secundum imaginem? Deus est sanctus. Si nos sancti sumus, ad imaginem Dei sumus. Deus est iustus. Si iustitiam persequimur, imago sumus Dei.* In eamdem sententiam scripsit etiam Ambrosius in *Psalm. CVIII.* Quin et ante Severianum Beati Patres Irenaeus, et

Cyprianus (7) id ipsum statuisse videntur. Quo et illud Apostoli ad Ephesios *IV.* adducunt: *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite vos novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis*; *et ad Colos. III. Renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius, qui creavit illum.* Quo et spectare mihi videtur Cyrillus Alexandrinus *Thes. lib.* XXXIV. qui imaginem Dei nonnisi Spiritus Sancti communicationem interpretatur. Ideoque amissam per protoparentis peccatum imaginem, ab Christo restitutam, infuso Spiritu sancto, plerique ex antiquis inculcant.

V. Sed quod Plato in Phaedone scripsit, animam nostram similem Deo esse, quod immortalis sit, nonnulli ex Patribus sunt adprime sequuti. Primus, nisi magnopere fallor, Maximus Martyr id docuit *Cent.* III. *cap. XXV. ad imaginem quidem tamquam existentis existens, et semper existentis semper existens; ut quamvis non absque initio talis sit, tamen sine fine sit.* Fortasse et huc Au-

---

(7) Irenaeus *Lib. V.* Cyprianus *Tract. de hab. Virg.* Quibus addas Theodoretum *Dial. II.* Gelasium Cyzicenum in *Actis Nicaen. Synod.* et Rupertum *Lib. VI. de Glor. Trinit.*

gustinus respexit (*Quaest.* XXXIII. *in lib. Num.*) nullibi nostrae animae immortalitatem splendidius in veteri Testamento haberi adfirmans, quam in lege Mosis.

VI. Alios autem videas, qui in eo hanc imaginem statuunt, quod omnibus animantibus homo dominetur, et principatum inter sensiles creaturas teneat. Quod item et Plato in Phaedone tradidit, et pluribus suasit Chrysostomus tum alibi, tum disertissime *Homil. X. in Genes.* Quocum consentientes multam Patrum cohortem habemus, in primis vero Clementem Romanum, Gregorium Nyssenum, Diodorum Tarsensem, Theodoretum, Isidorum Pelusiotam, Marium Victorem, et qui hos edocuit Origenes (8).

VII. Adductas autem usque adhuc Patrum sententias Prudentius una coegit in *Apotheosi*:

Est similis seclis quod non consumitur ullis
Quod sapiens, justique capax, reginaque rerum
Imperat, ante videt, perpendit, praecavet, instat,

(8) Clemens Rom. apud Damascen. *Eclog. cap. I.* Nyssenus *Lib. de opif. Hom.* Diodorus Tharsensis apud Theodoretum *Quaest. XX. in Genes.* Isidorus *Lib. III. Ep.* 95. Marius Victor *Carm. lib. I.*

Verborum, morumque opifex, instructaque mille
Artibus, et caelum sensu percurrere docta
His animam similem sibi Conditor effigiavit.

Sed vero illud non praetereundum, universas has sententias de Dei imagine in homine, tametsi diversas, εν τω αρχικω *in principatu* hominis simul includi. Quemadmodum enim (inquit Gregorius Nyssenus *Lib. de homin. Opif. Cap. IV.*) *in vita hac artifices instrumentum ea forma moliuntur, quae usui sit apta: ita veluti vas quoddam ad regni administrationem idoneum, naturam nostram praestantissimus fabricavit artifex: ac tum animae dotibus, tum figura ipsa corporis, talem designavit hominem, ut ad Regnum esset aptissimus.* Proinde igitur animam nostram libero arbitrio decoravit, quod erat regiae dignitati congruens; tum sanctitate, iustitia, immortalitate, ac virtutum omnium splendore vestivit, tamquam purpura.

VIII. Ego vero, ut quid sentiam postremo facili ingenuitate dicam, secus rem componendam duco. Utique non dicitur faciam hominem ad imaginem meam, sed *faciamus hominem ad imaginem nostram*, vel ideo ut intelligamus, non ad unius Personae, sed ad totius Trinitatis imaginem factum hominem

esse (9). Inspiciamus igitur parumper mentem humanam, et videamus, an in eius natura, quae una est, ternio aliquis insit, quo Divinam referat Triadem. Quem ubi tandem comperiemus, peractum negotium erit, idque detegisse dicemus, quod in homine est κατ' εικονα *secundum imaginem* Dei. Nihil quidquam autem nobis erit in eo laborandum, quod multa oratione prosequuti sumus in primo capite superioris libri de Sanctissimae Trinitatis Mysterio, ex quo haud multa huc transferam. Deus unus est, et semper, ubique totus est, omniaque vivificat, movet, et gubernat. Vis et imaginem Dei in anima? Anima unius est naturae (verbis utor Ambrosii *Lib. de dignit. Condition. human. Cap.* XI.), et ubique tota in suo corpore viget, illudque vivificat, movet, et gubernat. Item: Deus unus est, et tamen tres sunt Personae: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, ita anima unius est naturae, et tres habet dignitates *intellectum*, *voluntatem*, *et memoriam.* Et sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus Sanctus;

(9) Ita Patres quotquot. Conferas et quae supra in hunc locum diximus *Lib. II. de SS. Trinitatis Myster. Cap. II. pag.* 25. *et seq.*

ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus est, non tamen tres Dii sunt: sed unus Deus tres habens personas: ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animae in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates. Hem qui praeclarissimus ternio in anima nostra! ut quid amplius quaeramus, unde Dei imaginem gerat noster interior homo? exquisitissimam habes imaginem, habes et in ipsa sua natura!

IX. Vide quantum ex Ambrosio profecimus! Sed nisi in longum iret oratio, Augustinus heic etiam esset audiendus, cujus de Trinitate *libri IX. XI. et XIV.* toti ferme sunt ejus argumenti. Nihil autem expressius, luculentiusque, quam quod idem Augustinus *Lib. XIII. Conf. Cap. XII.* in eam adfert sententiam, ubi tria haec ESSE, NOSSE, VELLE verissimam in homine putat Trinitatis imaginem, quem locum integrum supra produxi (10).

X. Atque hanc quidem Dei imaginem in homine vel ideo constantissime teneo, quod

---

(10) Videsis nostras *Theologiae Dogmaticae Lectiones Lib. II. cap. I. pag. 20.*

*

in se facile amplectitur universas Patrum sententias, quas supra exposui. I. ut enim omni ex parte interior homo Archetypo similem gerat imaginem, oportet sane, ut et suae potestatis sit, liberique arbitrii; nam Regnantis, ac Dominantis naturae qui tandem imago dici posset illa, quae necessitatis legibus adstricta serviret? Quid quod qui intellectum, et voluntatem habet, habet certe liberum arbitrium. II. huc referas et hominis dominatum in cetera animantia, nam ut Thomas inquit per *intellectum*, et *voluntatem*, cujus utriusque facultas *liberum arbitrium* dicitur, dominium habetur. Et suffragatur Augustinus (*Lib. I. de Gen. contra Manich.*) *Omnia animalia cetera subiecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, et illa non habent.* Ad nativam hanc imaginis proprietatem in homine, sive ad *intellectum*, *et voluntatem* pertinent Sanctitas, Iustitia, Immortalitas, veluti ornamenta quaedam, et complementa similitudinis cum Archetypo. Nam *humana natura* (ut diserte inquit Nyssenus *L b. de hom. Opif.*) *loco purpurae virtute est amicta: quae est omnium maxime regia vestis: pro sceptro vero immortalitatis beatitate fulcitur: ac pro diademate corona iustitiae eum exornat.*

SECTIO III.

Hominis beatitas in primaevo innocentis naturae statu explicatur. Plura de illius immortalitate indagantur, atque expenduntur.

I. Quibus donis, dotibusque humani generis auctores auxerit Deus, atque beatissima quantum primaeva ipsorum conditio fuerit, ecquis unquam pro dignitate satis dicere poterit? Equidem non longiori utar disputatione in huiusmodi tractando argumento, quod antiqui Patres praeclare diffuseque explicarunt. Tantum, quae nactus fuerit privilegia primus hominum et parens, et caput, sive in corpore, sive in anima, numerando, et, ut verius dicam, epitomando percurram.

II. Primum autem protoparentis donum *Rectitudo*, *integritasque naturae* erat. qua caro Spiritui, Spiritus Deo subdebatur (11): pro-

(11) Atque haec illa est originalis iustitia, quam ab origine homo habuit, atque in posteros transfudisset, nisi ejus iacturam peccando passus esset. Hanc vero naturae non debitam multis evincit Au-

indeque *Sanctitas*; quemadmodum enim pluribus Hipponensis Pontifex docet, citra sanctificantem gratiam nulla poterat esse integritas. Quod et Tridentini Concilii Patres statuerunt *Sess. V. Can. I. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, quum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et iustitiam, in qua constitutus* (12) *fuerat, amisisse, anathema sit.*

---

gustinus *Lib. XIII de Civit. Dei*; tum et Thomas *Quaest.* 93. Merito hinc S. Pius V. et Gregorius XIII. propositionem illam inter Baianas proscripserunt: *Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

(12) Fuerit ne Adam in hac gratia conditus, an demum post creationem fuerit haec illi infusa, quaestio est, quam teste Eminentissimo Cardinali Pallavicino *Hist. Conc. Trident. Lib. VII. cap. VIII.* Sancta Synodus definire noluit. Certe enim Scotistae tum demum gratiam infusam docent, quum homo in Paradisum est translatus: quae caussa fuit, ut Tridentini Patres pro *conditus* substituerint *constitutus*. Primam tamen sententiam strenuo propugnarunt Augustinus, et Thomas, videturque magis consentanea verbis *Ecclesiast. VII.* 30. quod fecerit Deus hominem rectum. In eo enim rectitudo maxime sita erat, ut anima subiaceret

III. Porro ad hanc primaevam hominis rectitudinem spectat immunitas a concupiscentia, quam praefracte adversus Pelagianos vindicavit Augustinus *Lib. II. de pec. mer. et remis.* » Quamvis enim (verba sunt Augustini) corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo iustitiae, » ut quia eorum anima famulum corpus a Deo » acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, » ita et illi corpus eius obediret, atque ex» hiberet vitae illi congruum sine ulla resi» stentia famulatum ». Quo fit, primis parentibus non fuisse innatum propriae excellentiae amorem, ac nonnisi exterius fuisse tentatos. At ubi semel per inobedientiam humana mens Dei iugum excussit, caro adversus spiritum rebellavit, unde et erubescentia in iis exorta: *Iniustum enim erat (cum eodem Augustino dicam) Lib. I. de nupt. et concup.) ut ei, qui non obtemperaverat Domino suo, obtemperaretur a servo suo, idest a corpore suo.*

IV. Succedit alterum primi hominis donum cumulatissima rerum scientia, quas temporis

---

Deo, non secundum naturam tantum, sed praecipue secundum supernaturale donum gratiae.

processu discere sua debuisset sollertia (13); quo ceu fonte immunitas ab errore manabat. Quamvis enim non omnia nosset, assensum tamen in iis quae ignoraret, facile cohibebat. Diserte hinc Augustinus *Lib. III. de Lib. arb. XVIII. adprobare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed poena damnati.* Ex quo pronum est intelligere, Adamum transgredientem non fuisse deceptum, sed coniugi ultro obsequutum; Evam vero deceptam quidem (namque ait:

---

(13) Hinc Pythagoras illum omnium sapientissimum dixit, qui nomina rebus indidit primus. Cumulatam vero sapientiam homini perfecto nemo negabit, modo per usum habeat, ignorationem, malorum omnium pessimum esse malum. Sunt vero qui ultra fines omnes Adami extendunt sapientiam, sic ut vix aliquid ignoraverit. Eximium logicum illum praedicant Struvius *Rudim. logic. Hebraeor.* et Kochius *Increm. Polhist. logic.* Egregium geometram, astronomum, chymicum, medicum Kircherus *Aedip. Aegypt. vol. II. clas. II. cap. 1.* Rerum omnium scientissimum Mersennus in *Genes. cap. II vers. 20. Quaest. XXIX.* et Lambecius *Prodrom. Hist. litt. lib. I. cap. I.* Qui plura aveat, conferat Bergium *Philos. antediluv.* Goedinqnum *de gem. philos. natalib.* Toerrerum *de philosoph. Adami.* Feverlinum *lib. de Adam. philos.* et Maderum *de Adam. logic.*

serpens decepit me) sed eius deceptioni peccatum internae elationis praecessisse, Augustinus auctor est *Lib. XI. de Gen. ad litter.*

V. Longe praeclarum et innocentis naturae donum *Immortalitas* erat. Numquam enim visurum mortem primum hominem, nisi peccasset, Catholica Ecclesia constantissime fatetur. Cuius dogmatis auctoritas Scripturis innititur. Scriptum est enim *Sap.* 11. *Deus fecit hominem inexterminabilem* (Graece ad incorruptibilitatem) *invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et Apostolus *ad Rom. V.* 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quod demum ipsa Dei interminatio aperte insinuat *Gen.* 11. *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Egregie Marius Victor *Lib. II. in Gen.*

Tali lege data ratio docet optima, quod non
Mortalem Deus in primaevo tempore fecit
Primum hominem: quin ille sibi mortem attulit ultro.

Id quod Augustinus adversus Pelagianos contentione(14) quanta maxima propugnabat, quip-

(14) Conferas praeter *loc. cit.* et Lib. VI.

pe qui Adamum, vel si non peccasset, futurum fuisse mortalem docebant, atque hac de re in Africana Synodo damnati, mox et in Tridentina *Ses. VI. Can.* 1. *de Peccato Orig.* (15).

---

de Genes. ad litter. et lib. XIII. de Civit. Dei cap. XV. ex quo non piget pauca huc transferre: *Unde constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non naturae lege, qua nullam mortem homini Deus fecit: sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus, Terra es, et in terram ibis.*

(15) Conceptis verbis primum Canonem habes ex iis, qui sub Mylevitanae Synodi nomine editi sunt: *Placuit, ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit.* In eumdem sensum scripsere Africani Patres in Sardinia exules apud Fulgentium Lib. de Incarnat. Cap. XIV. Tum et sequiora Concilia, ac demum Tridentinum Oecumenicum loc. sup. cit. *Si quis non confitetur, Adam, cum mandatum Dei fuisset transgressus, incurrisse per offensam praevaricationis huiusmodi iram, et indignationem Dei, atque adeo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, anathema sit.*

VI. Non minus detestanda illorum pravitas videtur ex adverso statuentium, Adamum plena immortalitate donatum, qualem et Christus in corpore post resurrectionem habuit, et beati omnes in fine rerum sunt adepturi. Firmus, et adversus tale hoc opinamentum stetit Augustinus (16), cuius celebris illa sententia est *Lib. de Corrept. et Grat. Cap. XII: Prima immortalitas* (Adami) *erat posse non mori, novissima* (beatorum) *erit non posse mori.* Quod diserte explicat *Lib. de Gen. ad Litter. Cap. XXI. Illud* (Adami corpus) *ante peccatum et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam caussam dici poterat: idest mortale, quia poterat mori, immortale quia poterat non mori. Mortalis ergo erat primus homo conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale: quia et mori poterat: quamvis et immortale ideo quia et non mori poterat* (17). Un-

---

(16) Legesis quae hanc in rem Augustinus confert *Lib. VI. de Gen. ad lit. cap. XX. et Lib. I. de pec. merit. et rem. cap. III.*

(17) Hinc sane patet, quo sensu quibusdam placuit, Adami corpus, et immortale, et mortale fuisse. Mortalis enim non is tantum dicitur,

de ex Augustini sententia Adami corpus animale, non spirituale erat, quin et cibo potuque indigebat duplici (18), vulgari quidem

---

qui reipsa moriturus est, sed qui etsi mortem numquam experietur, tamen mori posset, nisi Dei cura peculiaris a morte eum vindicaret. Uno verbo. Immortalis Adam fuit *actu*, *potestate* vero mortalis.

(18) *Habebat* (inquit Augustinus *Lib. I. de pec. mer. et rem. Cap. III.*) *quantum existimo et de lignorum fructibus refectionem contra defectionem*, *et de ligno vitae stabilitatem contra vetustatem.* Qui locus nos probe monet, ut Genesis illud *ex ligno Paradisi comede*, de vero cibo et pastu homini, in beato illa innocentis vitae statu, necessario intelligamus, non vero de allegorico, quemadmodum multis placuit. Quam in rem, nequeo me continere quominus Augustini verba expressissima conferam *Lib. XIII. de Civit. Dei cap. XX. Licet morituri non essent primi parentes, nisi peccassent, alimentis tamen utebantur, nondum spiritualia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes, quae licet senio non veterascerent, ut adducerentur ad mortem, (qui status eis de ligno vitae, quod in medio paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia praestabatur) tamen alios sumebant cibos. Alebantur ergo aliis, quae sumebant, ne animalia corpora molestiae aliquid esuriendo, ac sitiendo sentirent. De ligno autem vitae propterea gustabatur, ne mors*

uno ad reficiendas vires; altero ex ligno vitae ad arcendam mortem.

VII. At vero ut paucis omnia conficiam; gaudebat et primus homo immunitatem ab quavis animae, corporisque miseria (19).

---

eis undecumque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent; tamquam cetera essent alimento, illud sacramento.

(19) Gentilium Theologi sive ex traditione transmissum, sive ex Iudaeorum memoriis edocti, primi hominis indolentiam, beatitatemque adprime norunt. Unum producam Hesiodum Εργοις 116.

Ac Deorum instar degebant securum animum
habentes
Longe ab laboribus, et aerumna: neque molesta
Senectus aderat: semper vero pedibus, manibusque similes
Oblectabantur in conviviis, extra mala omnia.
Moriebantur autem, velut somno domiti: ac
bona omnia
Illis erant: et fructum ferebat fertilis tellus
Sponte sua multum, et copiosum.

Ubi ad Christiani dogmatis sensum exacta omnia vides; nisi quod aurea aetate illa, quasi somno quodam suavissimo, sic morte ait extinctos. Huc et fortasse spectat quae Homerus de insulae Syriae incolis canit *Od. O* 406.

Illinc dira fames procul, et vis tabida morbi

» Non enim (inquit Maximus Martyr ad Tha-
» lassium scribens)moestitia, voluptas, appe-
» titio, et eiusmodi affectiones, quae hodie
» insunt humanae naturae, prius erant in ho-
» mine, sed propter amissionem perfectionis,
» postquam homo condemnatus est, furtim
» velut ingressae sunt; parti naturae nostrae,
» magis aliquanto brutae adhaerescentes » (20).
His consonantissima scripsit Gregorius Nazianzenus, itemque Chrysostomus, cuius locum non heic praeteream. *Nec enim corpus ipsius interitui obnoxium erat: sed instar aureae statuae recens eductae de fornace, mirificeque splendentis, ab omni corpus illud interitu erat immune. Non illi molestus erat labor ullus, non a sudore laedebatur, non insidiabantur ei curae, non moerores ipsum oppugnabant, non sordes, non lacrimae, non aliud quidquam eiusmodi affectionum vexabat.*

VIII. » Vivebat itaque homo (Augustini

Omnis abest, quae damna trahat mortalibus aegris.

(29) Unde Marius Victor *Lib. 1. in Gen.*
Nec prorsum obnoxia morbis
Corpora gestabant. Non hos cogebat ad esum
Pausae ignara fames: qui si mandata supremi
Servassent integra Dei, crudelia mortis
Imperia, et diros nescissent usque dolores

« verbis concludam *Lib. XIV. de Civit. Dei*
» *Cap. XXVI.*) in paradiso sicut volebat,
» quamdiu hoc volebat, quod Deus iusserat:
» vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bo-
» nus: vivebat sine ulla egestate; ita semper
» vivere habens in potestate. Cibus ade-
» rat, ne esuriret: lignum vitae, ne il-
» lum senecta dissolveret: nihil corruptionis
» in corpore, vel ex corpore ullas molestias
» ullis eius sensibus ingerebat. Nullus intrin-
» secus morbus: nullus ictus metuebatur ex-
» trinsecus. Summa in carne sanitas; in anima
» tota tranquillitas. Sicut in Paradiso nullus
» aestus, aut frigus: ita in eius habitatore
» nulla ex cupiditate, vel timore accedebat
» bonae voluntatis offensio. Nihil omnino
» triste, nihil inaniter laetum, gaudium ve-
» rum perpetuabatur ex Deo, in quem fla-
» grabat caritas ex corde puro. Non lassitu-
» do fatigabat otiosum, non somnus preme-
» bat invitum ».

Sectio IV.

De Paradiso voluptatis nonnulla attinguntur. Quid sit Eden. Septuagintaviralis versio interpretatur.

I. His itaque donis dotibusque cumulatus Paradisum voluptatis, quem plantaverat a principio Deus, ingressus est homo. Sed aliquantisper consistamus hic, et quis iste locus fuerit disquiramus. Primum autem nihil Philonem morabor, a quo, ceu fonte, ut Photius scribit, allegorica interpretandae Scripturae ratio in Ecclesiam manavit, nec qui Philonem sequutus est, Origenem, qui allegorias per omnia somnians Divini Verbi maiestatem ad humani ingenii commenta deduxit. Unde quoad propositum nostrum pertinet, merito illum redarguit Hieronymus *in Epist. ad Pammachium*, quod sic Paradisum allegorizet ut historiae auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes coelestes intelligens (21).

(21) Videsis et S. Epiphanium in *Ancorato*; nec non Methodium apud Epiphanium *Haeres. LXIV.*

II. Proprio igitur sensu, Paradisi nomine locus amoenissimus venit (22), quod sane Persicae originis vocabulum esse Pollux testatur, pluribusque suadent Xenophon, aliique Graeci scriptores, quibus docemur apud Persas maximo in usu Paradisos fuisse. Porro Xenophontis παραδεισον Tullius interpretatur *agrum conseptum*, *ac diligenter consitum*, quemque Gellius *Vivarium* dixit. Nec abludit vox Hebraica פרדס *pardes* eadem notione pluries in veteri Testamento usurpata. (23) Nisi quod heic non *Pardes*, sed גן *Gan*, idest hortus, legitur.

---

(22) Hinc sane confictum ab Homero Alcinoi hortum nemo unus ignorat, quod et Sanctus Iustinus Martyr animadverterat in *Cohortatione ad Graecos*. Quid? si et Iovis hortum ex huius horti allegoria expresserit Plato? Rem sane haud inexploratam habuit Eusebius *Praep. Evang. Lib. XII. Cap. XI.* quem vide.

(23) Paradisi vocem ex Orientali *pardes* factam contendit Mazochius *Spic. Bibl.* in hunc Genesis locum, ubi et contra Vossium non eam esse vocem compositam adstruit, sed simplicem, et quidem ex Hebraico *parad* derivatam quod est *seiungere*, assumpto sibilo in fine ex Syri sermonis Chaldaeique ingenio. Quo fit eamdem significationem constare voci *Pardes*, quam Mosaicae loci huius *Gan*, tum et *Horto* latinorum.

III. Dicitur autem hortus iste אדן *Eden*, qua in voce longe plures video ambages. Quamvis enim *Eden voluptatem* significet, utrum tamen heic adpellative *voluptatem* (quod Aquila, Symmachus, Theodotio, et Hieronymus insinuant) an potius regionem aliquam designet, quae a voluptate adpellationem invenerit (ut ex LXX interpretibus constat) dubitatum fuit. Nisi quod Septuagintaviralis interpretatio potior cuivis videri debeat, quam et Graeci Patres sequuti sunt. Id quod et praeposito suadet regioni praefixa; satis enim inepta esset huiusmodi loquutio plantaverat hortum in voluptate? Ergo *Eden* regio est.

IV. Sed porro quid est, quod Paradisus plantatus dicatur *a principio*? Sane in Originali textu scriptum קדם *Kedem* quae cum *principium* denotat, tum et *Orientem*. Unde factum, ut Septuaginta senes Kedem interpretati sint Orientem (23) εφυτευσεν κα-

---

(23) Ea ex persuasione, quod Paradisus ad Orientem situs existimaretur, mos ille manavit, ut Christiani ad Orientem conversi Deum adorarent. Id adprime testantur Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi Mystagogica I.* Sanctus Basilius *Lib. de Spiritu Sancto cap. XXVII.* Sanctus Gregorius Nyssenus *Oration. V. de Dominic. O-*

ῥαδεισον εν εδεν κατ' ανατολας *plantaverat Paradisum in Eden in Oriente*. Latinus vero interpres *principium*, quemadmodum et Graeci interpretes Symmachus εκπρωτης; Theodotio εν πρωτοις; Aquila απ' αρχης, Hieronymo teste in *Traditionibus Hebraicis*; quibus demum et Targum Onkelos adsentitur. Atque ista latina versio Augustino, Bedae, Ruperto, aliisque favet statuentibus, Paradisum die tertio positum; sic ut τo *a principio* tantumdem valeat, ac *sub ipsum rerum exordium*, sive quando primum Deus, retecta terra, et aquis in sua receptacula compulsis, locum Paradiso constituit.

V. Porro huiusmodi in horto, praeter ceteras stirpes plantasque, duae potissimum nobiles consitae arbores erant, quarum una *scientiae boni, et mali* dicta, altera *vitae*. Atque illam quidem ab eventu ita nuncupatam arbitrantur Chrysostomus, Theodoretus, Basilius Seleuciensis, Severianus, Augustinus, quippe ab esu primi homines didicerunt, quid interesset inter obedientiae bonum, et inobedientiae malum, inter bonum, quo ante pec-

ration. Gregentius in *Disputat. cum Herbano Iudaeo*, S. Ioannes Damascenus *Lib. IV. de fide Orthodoxa cap. XIII.*

catum fruebantur, et malum in quod peccando incurrerant (24). At contra Josephus *Lib. I. Antiq. Iudaic.* tum et Nemesius, ac Dama-

---

(24) Familiare id in Scripturis, nomina rebus imponere non ob insitam naturae vim facultatemque, sed ab eventu consecuto. In hunc modum (Genes. XXVI. 20.) *Puteus Calumniae* adpellatur puteus ille, quem fodit Isaac, non quod iurgia ac inimicitias foveret puteus, sed quod *ibi iurgium fuit pastorum Gerarae, adversus pastores Isaac, dicentium: nostra est aqua.* Eodem sensu *Puteus Iuramenti* est adpellatus (Genes. XXI. 32.), quem Abraham foderat, non eo certe quod iurasset puteus, sed quod circa puteum, cuius occasione paratae Abrahamo erant ab Abimalecho insidiae, praestitum ab utroque esset iuramentum. Item *Castra* nuncupatur (Genes XXXII. 2.) locus ex eo quod illic occurrentes sibi Angelos, et *Castra Dei* vidisset Iacob. Ex quibus satis intelliges, pari ratione *arborem scientiae boni et mali* non ideo adpellatam, quod boni malique scientiam congenita sibi virtute largiri posset, sed quod eius esu, scientiae boni, ac mali facta sit demonstratio, et fatale veritatis experimentum. Conferas, si commodum est, hanc in rem Chrysostomum *Hom.* *VII. in Genes.* Theodoretum *Quaest. VII.* in eumdem librum. Basilium Seleuciensem *Orat. II. de Adamo.* Severianum Gabalitanum *Orat. VI. de mundi opificio.* Augusti-

scenus hanc arbori naturalem vim a Creatore insitam crediderunt. Cuius autem generis arbor fuerit, nihil ad me pertinere arbitror. Scio equidem Theodoretum, Isidorum Pelusiotam, Procopium, et antiquorum plerosque *ficum* intellexisse, quod ex ea consuerint perizomata, unde et ficum stultitiae filiam Rabbini adpellant; Verumtamen Tostatus contrarium ex perizomatis elicit, incredibile ratus,

---

num *Lib. IV. de Civ. Dei Cap. XVII.* Rupertum *Lib. II. de Trinit.* Unum est attamen quod repugnare fortasse videtur; nimirum *scientiae* arborem ita ea ipsa die nuncupatam, qua plantata est a Deo, antequam quidquam Adamo eiusque uxori tentator diabolus adpromitteret. Scriptum est enim (*Genes.* II. 9.) produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave: lignum etiam vitae in medio paradisi, lignumque scientiae boni, et mali. Sed nulla hic ambages! Habes enim in Mosaico loco prolepsim sive *anticipationem*, eamque necessariam. Quum enim vetita arbor, per id tempus quo Genesim describeret Moses, illa dumtaxat dignosceretur nomenclatione, necesse ideo habuit, eamdem eo quoque nomine designare dum illam a Deo creatam enarrat, tametsi id nominis post Adae peccatum obtinuisset. Atque id notius, quam ut multis demostrare opus habeam.

infesta sibi arbore amiciri protoparentes voluisse.

VI. Altera est arbor vitae, ab effectu nuncupata, quod ad vitam in perpetuum, sive ad longissimum tempus producendam valeret, vi quadam divinitus accepta. Quae sane corporea adspectabilisque erat, simul et Sacramentalis. Sacramentum vero in eo intelligas, vel quod vi minime nativa, sed inspiratione salubritatis occulta efficeret vivacitatem; vel quod Christum, qui vita subsistens est, adumbrabat, quemadmodum in Apocalypsi: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in Paradiso Dei mei.*

CAPUT II.

DE HOMINE IN PECCATUM LAPSO.

SECTIO I.

Divinum mandatum Adamo factum. Illius per liberum arbitrium praevaricatio. Praevaricationis caussa inquiritur. Plura de serpente seductore.

I. Ubi in paradisum inductus est homo, hoc illi praeceptum Dominus dedit: *Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiae boni, et mali ne comedas: in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* In quo Divinae Bonitatis specimen habes, qui hominem ab se de limo terrae creatum, non arduis neque pluribus oneraverat praeceptis, sed levissimum unum ad obedientiae salubritatem, ut se Dominum ostenderet, tantum adminiculaverat (25). At heu

(25) Haec una, atque omnium solidissima, Divini mandati caussa ab antiquis Patribus ostentatur, ut primo homini meriti, atque virtutis suppeteret materia, obedientiae potissimum, et ut in

infelicissimus homo! per liberum arbitrium Domini Creatoris sui mandatum abrumpens, de interdicto comedit fructu, plagamque in caput suum, atque in posteros omnes intulit acerbissimam,

---

ipso principio se Deo ac Domino subiectum homo sentiret. Quamobrem Tertullianus *Lib. contr. Iudaeos Cap. II.* primordialem hanc legem, quasi matricem omnium praeceptorum Dei adpellat. Longum autem hic loci esset Patrum omnium conglobare testimonia, quorum instar satis habeo alterum et alterum adponere. Ex Graecis ita disertissime Chrysostomus *Homilia XVI. in Genes.* » Itaque parvo illo praecepto suum in ipsum dominatum ei voluit ostendere. Quemadmodum enim munificus aliquis dominus aedes amplas, et magnificas cuipiam fruendas concedens, non iustum illarum pretium, sed eius exiguam particulam vult accipere, ut et sibi dominii ius integrum servet, et usuarius iste certo sciat, non se aedis esse dominum, sed illius beneficio, ac liberalitate utendam se eam accepisse. Sic Dominus noster, quum quidquid aspectabile est, homini commisisset, eique tum in paradiso domicilium, tum eius delitias ad fructum animi tribuisset, ne paullatim animo in transversum abreptus, ista ipsa quae oculis cernuntur, per se, ac temere esse crederet, et supra dignitatis suae modulum de ipso sentiret,

II. Sed cui bono Deus legem illam tulerit Adamo, quam minime servaturum sciebat? sive, ut Manichaei aiebant. cur hominem fecerit, quem nosset peccaturum? Praeter autem inscrutabile Dei iudicium, quo opportune confugit Augustinus, hanc equidem adhiberem aptissimam responsionem. Sicut Deus sciebat, quod homo per tentationem in peccatum esset deiiciendus, ita sciebat etiam, quod per liberum arbitrium tentatori resistere poterat. Hoc enim humanae naturae conditio requirebat, ut propriae relinqueretur voluntati (26). Id quod Augustinus ipse incul-

---

» unius illi usum arboris interdixit ». Ex Latinis vero Augustinus Lib. I. contra adversarios legis » Cap. XIV. *A cuius cibo est homo prohibitus, ut obedientia commendaretur, quae maxima est virtus, et ut sic dixerim, omnium origo materque virtutum in ea natura, cui sic datum est arbitrium liberae voluntatis, ut eam tamen necesse sit vivere sub potestate melioris.* Vide et Tract. in Psalm. LXX. Et Lib. XII. de Civit. Dei Cap. XXI. Et Lib. VIII. de Genes. ad litter. Cap .XIII.

(26) In hunc modum Sanctus Thomas *Quaest.* 162. *art. I.* Sed conferendi in primis qui adversus Manichaeorum, Marcionitarum, ceterorumque eiusdem furfuris haereses commentaria ediderunt

cat *Lib. XI. de Gen. ad litt. Cap. IV. Non mihi videtur magnae laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet, cum et in natura, posse et in potestate haberet velle non consentire suadenti.* Et iterum alibi: *Sic enim factus est, ut si noluisset, non peccaret.*

III. Caussam igitur nefandissimi criminis investigantibus, non alia occurrit quam voluntas; aberant enim ab innocente homine concupiscentia, ignorantia, et si quae alia huiusmodi offendicula. Unde Augustinus *de Civ. Dei Lib. XIV. Cap.* 13. *in occulto primos homines malos esse coepisse*, inquit, *ut in apertam inobedientiam laberentur; non enim ad malum opus perveniretur, nisi praecessisset mala voluntas.* Nec porro malae voluntatis originem aliam, quam superbiam fuisse in comperto est apud Patres (27), scri-

Irenaeus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus. Omnino vero videsis Ambrosium *Lib. de Parad. cap. V. et seq.*, tum et Cyrillum *Lib. I. contr. Julian.*

(27) Fusius de eo Augustinus *Lib. XIV. de Civ. Dei Cap.* 14. Hinc et S. Thomas *Quaest.* 163. *art. I.* postquam de homine in statu innocentiae instituto egregie disputasset, atque nullam

ptum est enim *Ecclesiast. X.* 15. *Initium omnis peccati superbia est.* Et Tobiae *IV.* 14. *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: IN IPSA ENIM INITIUM SUMPSIT OMNIS PERDITIO.* Quod plane ex iis quae cum externam praecesserunt inobedientiam, tum subsequuta sunt, pronum est intelligere. Non enim ea naturae sublimitate contenti, qua ad imaginem Dei facti erant, adhuc in id amplius movebantur, ut supra naturae conditionem attolli possent, sicut Dii scientes bonum, et malum, in quo intollerabilem habes superbiam. Patratum vero crimen peior damnabiliorque sequuta est superbia. Non enim veniam, non medicinam implorarunt, sed frivola excusatione poenam declinaturos sperabant. Et Adam quidem in comparem suam refudit culpam: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* Eva ex adverso serpentem accusavit: *Serpens decepit me.*

---

tunc rebellionem carnis ad spiritum fuisse invictis argumentis evicisset, tandem concludit: *Unde restat, quod primum peccatum hominis fuit in hoc, quod appetiit quoddam spirituale bonum supra suam mensuram quod pertinet ad superbiam. Unde manifestum est, quod primum peccatum primi hominis fuit superbia.*

IV. Quod vero ad externas delicti pertinet caussas, nolim iis arborem adcenseri vetitam, ut quae mera occasio fuit, sed diabolum dumtaxat, cuius invidia mors introivit in orbem terrarum, quique homicida erat ab initio. Hunc autem merum serpentis simulacrum Evae oculis obiecisse Cyrillus arbitratur *Lib. III. contr. Iul.* Sed potior videtur Chrysostomi, Theodoreti, Augustini, et Damasceni (28) sententia, veri serpentis organo u-

(28) Facessat ergo Caietani opinatio, diabolum per internam tantum suggestionem mulieri imposuisse, atque serpentem metaphorice hic adpellari, ut Apoc. XII. 9. et XX. 2. *serpens antiquus*; nam tentationem ratione visibili institutam, peractamque omnino ac constanter teneo, neque in eo serpente simulatum quid vel praestigiosum extitisse, vel fallax quoddam phantasma, sed revera genuinum fuisse serpentem. Neque velim ego, ut quis vel parumper ex eo moveatur quod doctissimus quidam homo regerit; nimirum quod si de germano serpente ageretur, illius genus profecto Moses indicasset. Inscitiam sapit id; bona enim istius pace dicam, familiare hoc in adfini argumento latinis etiam scriptoribus esse. Ita Tullius *Lib. I. de divinat. Quum Sylla in agro Nolano immolaret ante Praetorium, ab infima ara subito anguis emersit.* Et Val Max. *Lib. I. Cap.*

sum tunc fuisse diabolum adfirmantium. Nisi quod Augustinus, et qui eum sequi consueverunt Gregorius, Beda, Rupertus maledictionem in serpentem prolatam, ad solum

---

VI Subito ob ima parte arae prolapsam anguem prospexit Et quid ceteros moror. Porro autem nihil ad tentationem convenientius, quam ut diabolus serpentis adscisceret organum, quod genio suo exprimendo magis erat idoneum. I. Equidem ex eo quod humi serpat, perspicue nobis repraesentatur, Satanam e coelo eiectum, terrena tantum cogitare. II. Quod facile oculis se subducat, clamque mordeat, id nobis antiqui serpentis insidias significat, quibus ex improviso homines illaqueantur, ac lethali vulnere prius transfiguntur, quam eius senserint accessum. III. Serpentis lingua veneno est suffusa, ut sciamus metuendi quantum sint sermones pravi, quibus Satan corda hominum inficit. IV. Quemadmodum et eadem lingua est in extremitate bifurcata, et in aculeos discissa, ita fere est diaboli lingua flexiloqua semper, atque ex ea ambiguitate fallacissima. V. Serpentis corpus flexile est admodum, et variabile, ac modo repit, modo erigitur, contrahitur aliquando, distenditur alias, in arcus mox sinuatur, mox in seipsum complicatur; eodem prorsus diabolo familiare est, et quasi ingenitum, ut omnia formarum genera induat ad varias tentationum suarum species variis hominum ingeniis adaptandas, im-

diabolum pertinere censuerunt, non vero ad serpentem, quem incredibile prope videtur suis antea pedibus gressum; postea vero repere toto pectore compulsum (29). Secus ac

---

mo et in Angelum quoque lucis sese aliquoties transformet, ut electos etiam in defectionem, si fieri possit, adducat. VI. Serpens est natura sua insidiosus et fallax, crudelis, homini inimicissimus, quae omnia Satanae apte conveniunt, cuius continuo perfidiam, crudelitatem, odiumque experimur implacabile. VII. Est serpens prae omnibus terrae bestiis prudens; sed quae ista prudentia, si cum diaboli conferatur prudentia, quam Scriptura Sacra vafritiem, iniquitatis mysterium, et Satanae profunditates appellat? Sed nolo plura.

(29) Id eo explicat Theodoretus *Interrog. XXXIV. in Gen.* ut non tunc primum serpentes super terram poena reptare incoeperint, sed ut homines id videntes culpae primorum parentum recordarentur. Exemplum habes in Iride, quae quamvis naturale phoenomenon sit, post diluvium tamen constituta fuit in signum pacti Deum inter, et homines initi. Dicam ego amplius: tametsi repere serpenti aeque sit nativum, ac sit belluis incedere, natare piscibus, coelorumque avibus volare; versa tamen ob Dei maledictionem in supplicium natura, res facta est laboriosa, non secus ac o-

existimarunt Basilius, et Iosephus, quorum alter *Lib. I. antiq. Iudaic. Cap. I.* Deum, serpentis linguae voce adempta*, venenum indidisse, pedibusque illum privasse tradit. Quidquid sit, non negaverim ego, nonnihil etiam maledictionis illius in anguem redundasse. Cuius rei documento est inimicitia, quam cum serpentibus continuo homines habent. Sed quid commeruit bellua, cur puniretur? Plane id non novum in Mosaica lege, quod bestiis rationis expertibus poena irrogetur (30).

---

peratio homini, partusque mulieri. Terrae enim cultura erat homini ab initio naturalis in ipsa sane Paradisi terrestris inhabitatione; sed quod absque labore ullo ante peccatum exequebatur, nunc cum labore multo operatur, panemque suum cum sudore vultus manducat. Ita et partus a natura feminae fuerat datus, sed ex peccato dolor additus a Deo. Id ipsum et in serpentem quadrat, cui serpere mox gravius, quam ab initio fuerat, quique ubi divina maledictione terra fuit percussa, pabuli alterius defectu eo adigitur aliquando, ut pulverem manducet.

(30) Facit huc Levitici illud *XX.* 15. *Qui cum iumento et pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite.* Nimirum tametsi innocens sit bru-

V. Diabolum igitur per veri colubri fauces verba expressisse, non minus credibile est, quam quod per asinam Angelus sermones cum Balaamo miscuerit (31). At bellua loquente, nonne femina obstupescere debuisset (32)? Sane id cum Thoma potius arbitror

---

tum; Lex tamen et ipsum condemnat ut instrumentum. Ita et penna uri solet aliquando, quae ad falsum quid scribendum subserviit; non secus ac culter ad parricidium adhibitus. Corpus quoque cum anima patitur, quandoquidem membra illius instrumenta fuerunt iniquitatis. Nec absimile quod Iudas Apostolus precipit, ut odiosa sit vestis, quae carne est infecta. Eamdem ob caussam Deus mundum ultima die est pessumdaturus; licet enim inanimata peccati sint expertia, est tamen destructurus, eo quod et diaboli, et hominum iniquitate sunt contaminata.

(31) Notaverat id Augustinus *Lib. de Gen. ad litt. XI. Cap. XXVII.*

(32) Nonnisi ex hac historia id manavit quod Plato in *Politico*, et antiquorum plerique dixerunt, saeculo aureo homines cum bestiis colloquutos. An id verum arbitrabimur, quod femina nihil hac in re doli suspicata fuerit? Minus equidem adsentior Iosepho, Philoni, Basilio, et Ephremo, qui talia putarunt.

ego, animadvertisse quidem feminam, spiritum aliquem serpentis ore loquutum; bonumne vero, an malum, susque, deque habuisse. Quam in sententiam eo libentius adducor, quod Evam quibusdam gradibus aditum ante diabolo fecisse constat. Praecesserunt enim, ut paullo ante diximus, in illius mente nonnulla elatio, curiositas inde, tum caritatis frigusculum, animoque affusa nubecula, unde tam male affectam facile demum diabolus adgreditur (33).

---

(33) Hinc vero Gentiles multas detorsere fabulas. In primis vero sat decantata de pomis Hesperidum, ac dracone eorumdem custode fabella. Et ut Aegyptios, Indas, Graecos, Romanosque praeteream, quibus serpentes culti, adprime Chalcidius *in Timaeum* arboris vetitae, et insidiatoris colubri meminit. Quid quod in Graecorum mysteriis adclamatum *Eva* simulque monstratum serpentem, Plutarchus prodidit *in Alexandr.* Unde Demosthenes in *Orat. de Corona* Aeschinem eo accusat, *quod serpentes, quos parias vocant, allidens, et supra caput efferens, et clamans Evoe saboe, mercedem pro istis muneribus capiebat.* Quo et respexit Catullus.

Evoe bacchantes, evoe capita inflectentes
Pars sese tortis serpentibus incingebant.

Illustre et id quidem est, quod Clemens Alexan-

VI. Quod autem Apostolus inquit I. *ad Timoth.* II. 14. *Adam non est seductus, mulier autem seducta, in praevaricatione fuit*: plerique Patrum ita interpretantur, ut non primus ille a serpente seductus fuerit. Quem in sensum scripsisse mihi videtur Augustinus, non credidisse Adamum serpentis pollicitationibus ab uxore propositis, sed noluisse non obsequi compari suae, quacum sine querela vivere par ducebat. Quod et iterum *Lib. XI. de Gen. ad litt. Cap. XLII.* scite inculcat: » Adam, posteaquam de li- » gno prohibito seducta mulier manducavit, » eique dedit, ut simul ederent, noluit eam » contristare; non quidem carnis victus con- » cupiscentia, quam nondum senserat in re- » sistente lege membrorum legi mentis suae; » sed amicali quadam benevolentia, qua ple- « rumque fit, ut offendatur Deus, ne homo » ex amico fiat inimicus ».

---

drinus hanc in rem adfert *in Protreptico*: *Dionysium Maenolem Orgiis Bacchi celebrant coronati serpentibus, ululantes Evam, Evam, per quam omnigena in mundo mala sint consequuta.*

SECTIO II.

Quanta uno in Adami crimine conglobata facinora. Ecquae poenae peccatum subsequutae fuerint. Justitiae originalis donum, quod sibi posterisque suis acceperat, an sibi posteriusque suis per peccatum amiserit. Originalis peccati ab Adamo in posteros transfusio Christianae Religionis fundamentum.

I. Qua qua parte patratum a primis parentibus facinus attendatur, omnino grave, et ultra quam vel cogitari, vel credi potest atrocissimum videtur. Nam et superbia est illic (verbis utor Augustini *Ench. Cap. XLV.*) quia homo in sua maluit esse, quam in Dei potestate; et sacrilegium, quia Deo non credidit; et homicidium, quia se posterosque suos praecipitavit in mortem, et fornicatio spiritalis, quia integritatem mentis humanae corrupit, et furtum, quia cibum vetitum usurpavit, et avaritia, quia plus quam sufficere illi debuit, adpetivit. Adde curiositatem ex-

periundae virtutis occultae, dubitationem de praecepti sensu, gulam, inobedientiam, inanem admissi sceleris excusationem, et quid huiusmodi pestis ceteras moror deformitates?

II. Tantum scelus debitae subsequutae sunt poenae. Mulieri dixit Deus *Gen. III. multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos* (Hebraice *aerumnas conceptuum tuorum*) *in dolore paries, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Adae vero dixit. Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae: spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae: in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Ita in corpore adflictum eiecit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis.

III. Longe tamen graviores plagas, aerumnasque in anima perpessus est infelix homo, sic ut Tridentina Synodo docente *Ses. V. Can. I.* totus per illam praevaricationis offensam secundum corpus, et animam in deterius commutatus fuerit. Nimirum iustitiam originalem, sive praecipuum illud eximiumque donum, quod gratiam, virtutesque com-

plectebatur omnes, et in quo rectus ab initio dicebatur, amisit. Cuius iacturae veluti consectaria fuerunt: concupiscentia carnis adversus spiritum, ut quemadmodum homo adversus Deum rebellaverit, ita pars animae inferior superioris imperio renueret obedire: nullae ad recte agendum vires: ignorantia, et tenebrae in intellectu ad cognoscendum verum: mors (34) demum prima, et secun-

---

(34) Quod vero ad mortem pertinet, illud heic probe investigandum, quo potius sensu Divinae legis sanctio, sive poenae comminatio accipienda: *in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris*, non enim eodem die mortem primi parentes obierunt. Sane ex Augustini mente Homo per peccatum gratia sanctificante spoliatus, atque a Deo relictus, statim ab vetiti cibi esu mortuus est, non in corpore, sed in anima. Cui subscripserunt par Gregoriorum Nyssenus, et Magnus, Isidorus Pelusiota, aliique Patrum. Nisi quod Apostolus ad Romanos V. 12. ubi *per peccatum mortem intrasse in mundum* inquit, nonnisi de morte corporis illam intellexisse comminationem videtur, cui omnes Adae posteri obnoxii facti sunt. Quid quod mortem corporis Deus ipse luculenter significat *Gen. III.* 19. *Pulvis es, et in pulverem reverteris*. Dicerem potius utramque mortem illa comminatione comprehendi; id quod viderat Augustinus, *Lib. XIII. de Civ. Dei*

da; *prima* mors, Augustinus inquit, animam volentem pellit a corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore.

Cap. XII. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in Paradiso constituerat, de cibo vetito: quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini, non tantum primae mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo, nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima, nec solum ipsam totam primam, ubi anima, et a Deo, et a corpore separata punitur; sed quidquid mortis est usque ad novissimam, quae secunda dicitur, qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est. Sed iterum redit difficultas quoad corpus, quomodo nimirum ex Divina lege statim post peccatum mortuum fuerit. Sane ego illud existimo, eo quidem die quo facinus patrarunt, quo et mortis legem, qua in senium vergerent, acceperunt, mori coepisse. Ita quidem Chrysostomus Hom. XVII. in Genes. » Quamvis multorum annorum spatio vixerint, tamen ex quo audierunt illud: Terra es, et in terram redibis; et sententiam mortis acceperunt, mortales facti sunt; atque ex eo tempore illos esse mortuos, aliquis merito dixerit. Hoc vero Scriptura significans ita dixit: quacumque die comederitis, morte moriemini; quasi diceret, sententiam hanc accipietis, ut mortales deinceps sitis ». In quem sensum expresse scripsit et Sanctus Hipponensis Episcopus Lib. I. de peccat.

IV. Porro autem originalis iustitiae donum non sibi uni, sed universo hominum generi

---

merit. et remis. Cap. XVI. Id quod in humanis iudiciis passim videmus, ut qui capite damnantur, eo die mori dicantur, quo mortis pronunciata est sententia, tametsi damnationis exequutio differatur, diuque in carcere ferro constringantur. Unde Symmachi interpretatio, qui verba, *morte morieris*, interpretatur *mortalis eris*, quam S. Hieronymus *Lib. de tradit. Hebr.* adprime probavit, aptissima omnium mihi videtur, quamque tenuerunt Chrysostomus, Theodoretus, Augustinus, Prosper, et Fulgentius. Quod vero ad alteram pertinet quaestionem, utrum omnino mortis necessitate omnes urgeantur, an vero sub mundi finem sint aliqui sine morte ad immortalitatem transituri; prorsus intactam relinquo. Video Latinos in priorem sententiam propensiores, Graecorum vero plerosque in alteram. Nolo immisceri. Ut autem ad interpretationem του *morte morieris* revertar, addam et hoc: si Basilio ac Prospero eadem sic interpretantibus: *ad mortem quotidiana virium, et corporis defectione progredieris*, adsentiaris, haud contra ego stabo. Vitae enim huius principium (verba Prosperi sunt *Lib. II. de Vocat. Gent. Cap. VIII.*) mortis exordium est; nec prius incipit augeri aetas nostra, quam minui. Cui si quid adiicitur spatii temporalis, non ad hoc accedit, ut maneat, sed in hoc transit ut pereat. At modo subit in mentem insignis Gre-

acceperat Adam. In eo enim veluti humani generis capite posterorum omnium voluntates

---

gorii Nysseni locus in Oratione, quam habuit in funere Pulcheriae Augustae, quo sermonem hunc de divino praecepto mortem interminante opportune claudam. Nimirum mors poena peccati est; sed poena ipsa mortis, Deo indulgente, in magnum peccantis Adae posteritatisque eius versa est commodum; sic ut misericors Deus humanum genus ex labe illa sanaturus, et quae primorum parentum vitio erant amissa reparaturus, communis legis illius *morte morieris* gratiam facere noluerit. Hoc autem quidquid est commodi, quantivisque pretii ex Nysseno habeas, ex cuius verbis non parum solaminis accipio, dum haec inter lacrymas scribo ob carissimae matris iacturam, quae Deo vocante vitam hanc mortalem aerumnosissimam cum immortali commutavit VII. Kalendas Decembres huius anni MDCCCIII. Sed ad Gregorium Nyssenum redeo: » Nihil aliud, inquit, mors « est in hominibus, quam vitiositatis expiatio. Ete- » nim quum initio natura nostra tamquam vas » quoddam bonorum capax a Deo omnium con- » ditore procreata fuisset, ac hostis animarum no- » strarum malum in nos fraudolenter infudisset, » nec ideo locus amplius bono relictus esset; ob » hanc caussam, ne insitum nobis vitium peren- » naret, meliori providentia, vas ad tempus mor- » te dissolvitur, ut, elapsa vitiositate, humana na- » tura reformetur, et ab omni labe sincera in vi- » tam pristinam instauretur. Hoc enim resurrectio

constituit Deus; ut si in accepta perseverasset iustitia, eamdem, et posteri omnes cum anima ipsa in prima sui origine accepissent. Quocirca praeclaro illo dono a latronibus, Angelis scilicet noctis, et tenebrarum expoliatus, iustitiam quam sibi posterisque omnibus acceperat, sibi posterisque omnibus amisit. In illo enim omnes peccaverunt *quia omnes ille unus fuerunt*, ut loquitur Augustinus.

V. Atque peccatum istud originis per communem originem, seu propagationem in omnes homines ab illo, qui totius humani generis caput erat, derivari, atque transfundi, dogma fidei est (35). Quod mox ad-

» sibi vult, ut sit naturae nostrae priorem in sta-» tum restitutio. Quamobrem, si impossibile est, « naturam in melius instaurari sine resurrectione, » haec autem, nisi mors antecesserit, fieri non » possit; bona utique mors est, quae mutationis » in melius initium nobis sit et via. » Vide et Gregorium Nazianzenum *Hom. XLII.* Titum Bostrensem *Lib. II. contr. Man.* Macarium *Homil. XV.* Chrysostomum *Hom. XC.* Et Augustinum *Lib. II. de peccat. merit. et remis. Cap. XXXI.*

(35) Quidquid de Theodoro Mopsuesteno sit, qui primus, si Mario Mercatori fides, capitale hoc Christianae Religionis dogma oppugnavit; quidquid

versus Pelagianos accuratius; ex utriusque Foederis tabulis, Patrumque perpetua traditione vindicabimus, siquidem *in eo Christianae Religionis summa, ejusque fundamenta*, ut Augustinus inquit, *consistunt.* Enimvero an medicum admittet, qui se sanum existimat? aut redemptorem agnoscet, qui nescit se fuisse captivum? Ut ergo sciamus quae, et quanta nobis Christus attulerit, prius noscámus oportet quid in Adam amiserimus.

---

et de veteribus Gnosticis, et Manichaeis, de quibus conferatur Cl. Garnerius in *Dissert. de Pelag. Haeresi*, profecto Pelagius in eo labefactando dogmate adeo laboravit, ut ab eius nomine Pelagiana Haeresis passim audierit. Huius (*Augustino teste Lib. de nat. et grat. Cap. VI.*) *duo erant veluti suprema capita, nimirum naturam hominum, neque in parvulis medico, quia sana est, neque in maioribus gratiae adiutorio egere, quia sibi sufficiens est ad iustitiam.* Pelagio Coelestius accessit, mox et Iulianus Episcopus Eculanensis. Tametsi Catholicorum validissimis pressi argumentis Pelagiani eo posthac devenerint, ut mortem in mundum per Adami peccatum intrasse fassi sint, non vero peccatum ipsum. Ex quo absurdissimum illud consequebatur, poenam transisse sine culpa, et innocentes parvulos injusto supplicio puniri, trahendo mortem sine meritis mortis. Quod de u-

Sectio III.

Peccati Originalis in omnes homines transfusio ex Veteri Testamento evincitur.

I. Ergo ut ex Veteris Testamenti tabulis ordiar, insignis est Psalmi quinquagesimi locus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Scilicet, inquit Ambrosius, *antequam nascimur, maculamur contagio, et ante usuram lucis, originis ipsius excipimus iniuriam, in iniquitate concipimur.* Quo invictissimo testimonio Pelagianos abunde exagitarunt Hiero-

---

no tantum Dei hominumque mediatore Christo Catholica fides novit, qui pro nobis mortem, peccati poenam, sine peccato subire dignatus est. Mitto dicere invictissime quantum tantae haeresis depravationi universa restiterit Ecclesia (qua de re vide quae infra adnotabimus) donec ubique tandem prostrata. Sed post Saeculum XVI. pugnam integrare Vlricus Zuvinglius in *Declar. de pec. orig.* tum et Socinus in *Praelect. Theolog.* connisi sunt. Quamobrem Tridentina Synodus antiquas Pelagianae haeresis damnationes confirmandas censuit.

nymus, et Augustinus, et qui hos subsequuti sunt Patres. Neque enim ullum omnino patet effugium abs eo, quem ante Pelagianam pestem nonnisi de originali iniquitate antiqui Patres acceperunt (36). Origenes quidem *Homil. VIII. in Leviticum* Psalmi verba expendens, *quaecumque*, inquit, *anima in carne nascitur*, *iniquitatis et peccati sorde polluitur* (37). Nec minus expresse S. Hilarius in *Ps. XCVIII. Scit homo sub peccati origine*, *et sub peccati lege se natum.*

II. Testimonium alterum ineluctabile ex libro Iobi habemus *Cap.* XIV. in quo ex septuagintavirali versione legitur : *Nemo mundus a sorde*, *nec infans*, *cujus est unius*

---

(36) In textu Hebraico expressius numero singulari legitur : *in iniquitate conceptus sum*, *et in peccato peperit me mater mea*; quemadmodum et S. Hieronymus vertit, consonatque versio Chaldaica, Siriaca, et Arabica. Ceterum pluralis pro singulari saepissime in Scripturis usurpatur, ut alibi adnotasse memini.

(37) Origenem hoc in dogmate orthodoxe sensisse, ponderosis argumentis ostendit Cl. Bossuetus in *Defense de la Tradition*, *et des saints Peres Lib. VIII. Cap. XXVIII.* Confersis et Danielem Huetium in *Origenianis Lib. II. cap. II.*

diei vita super terram (38). Quae enim ista immundities est, quae sordes ista, qua nascimur, nisi originalis labes? *Scriptura* (diserte inquit Origenes *Tom. VII. in Levit.*) *de illo qui nascitur pronunciat, quod non sit mundus a sorde, etiamsi unius diei sit vita ejus.* Urget et argumentum Augustinus *De Civ. Dei Lib. XX. cap. XXVI. Ex quo commissa praevaricationis caussa, inde primi parentes dimissi sunt, atque humana in eis natura damnata est, excepto uno Mediatore, et post lavacrum regenerationis quibusque adhuc parvulis, nemo mundus a sorde, sicut scriptum est, nec infans, cujus est vita unius diei super terram.*

III. Quod ipsum lex ad Abraham data *Gen. Cap. XVII.* luculentissime adstruit: *Masculus cuius caro praeputii circumcisa non fuerit, peribit anima eius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*; qua veluti armatus Augustinus *Lib. de pec. orig. Cap.* XXX. iterum iterumque in Pelagianos irruit. *Quid enim peccati*, quaeso, *parvulus pro-*

---

(38) Hebraicus textus: *Quis detur mundus de immundo? non unus.* Vulgata vero: *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?*

pria voluntatae commisit, ut alio negligente, et eum non circumcidente, ipse damnetur damnatione tam severa, ut pereat anima illa de populo suo? Quid sibi ergo vult, pro nullo propriae voluntatis admisso tanta damnatio? nisi quia infans pertinet ad massam damnationis, et iuste, ex Adam natus, nisi inde fuerit, non secundum debitum, sed secundum gratiam liberatus. Id quod Iuliano Aeculanensi opponit *Lib. II. de nupt. et concup. Cap. XI. Dicat iste, si potest, quomodo puer ille testamentum Dei dissipavit octo dierum* (39): *quantum ad ipsum attinet, innocens infans. Tunc ergo dissipavit testamentum Dei* (40),

---

(39) Genesis locum Septuaginta Interpretes ita vertunt: *masculus, cuius praeputii caro octava die circumcisa non fuerit*, quam versionem sequutus Augustinus *Lib. XVI. de Civ. Dei Cap. XXVII.* nec non Origenes *Lib. II. in Ep. ad Rom.* Nec velim quis obiiciat clausulam eam, *octava die*, in textu Hebraico non legi, nam *versu* 12. scriptum: *infans octo dierum circumcidetur in vobis*, quibus *vers.* 14. subditur: *Masculus cuius praeputii caro circumcisa non fuerit* cet.

(40) Probe Augustinus docet, Genesis verba: *pactum meum irritum fecit*, de pacto Adamitico intelligenda non comedenti de ligno scientiae bo-

quando per unum hominem peccatum intravit in mundum , et per peccatum mors , et ita in omnes homines pertransiit , in quo omnes peccaverunt.

IV. Neque tamen quievit hinc Iulianus, quin acrius Augustinum (41) celebri illa Ezechielis XVIII. 20. sententia lacessebat : *Anima , quae peccavit , ipsa morietur : Filius non portabit iniquitatem patris , et pater non portabit iniquitatem filii , iustitia super eum erit , et impietas impii erit super eum* (42).

---

ni , et mali , in Adamo ab omnibus violato ; non vero de pacto Abrahamitico. Verum quid si de Abrahamitico circumcisionis pacto illa accipias ? semper id constabit , animam pueri incircumcisi non alio damnari , quam ob originalem maculam, quae in veteri lege nonnisi per circumcisionem delebatur. Illud tamen per transennam adnotare non piget , circumcisionem veteris . legis in eo differre a baptismo novae legis , quod in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi , qui perfectae Christi passionis instrumentum est , in circumcisione autem conferebatur gratia ex virtute fidei passionis Christi , non vero ex circumcisionis vi.

(41) Vide Augustinum *Lib. III. Oper. Imperf. cap. XII.*

(42) Id saepius in Scripturis occurrit , veluti

Sed Iulianus vel non viderat, vel non vidisse simulaverat, minime haec Ezechielis verba peccato originali refragari (43). Peccatum enim primi hominis, est quodammodo peccatum totius naturae, et ideo quum quis propter primi parentis peccatum damnatur, non

---

Deuteron. XXIV. 16. *Regum Lib. IV. cap. XIV.* 6. *et Paralipom. Lib. II. cap. XXV.* 4.

(43) Huiusmodi legem ad homines pertinere, non vero ad Deum, invictissimis argumentis adversus Iulianum Augustinus evincit *Lib. III. Oper. imperf.* Nam ex Scripturis centies habemus, Deum in filios animadvertisse ob parentum reatus. Cuiusmodi est locus Exodi Cap. XX. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam, et quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Quid quod habes infantes in diluvio universali absorptos, alios in Sodomae conflagratione exustos, alios ab Israelitis una cum parentibus Dei iussu occisos. Quid igitur? dicamus Scripturas Scripturis adversari? Apage! *Parvuli*, inquit Augustinus, *per suorum parentum peccata, quorum nec conscii, nec imitatores esse adhuc poterant Divino iudicio poenam subiere communem.* Ex quo id concludit, Ezechielis locum cum innumeris Scripturarum exemplis concilians: *aliter ergo iudicat Deus, aliter homini praecipit, ut iudicet.*

damnatur ob peccatum alterius, sed ob peccatum suum. Unde Anselmus *Lib. de pec. orig. cap. XXVI. Non portant infantes peccatum Adae, sed suum. Illud enim fuit caussa, istud effectus.*

Sectio IV.

Peccati Originalis in omnes homines transfusio ex novi Foederis tabulis evincitur.

I. Quae in veteri Testamento aperte traditur peccati propagatio ab Ada in posteros omnes, expressissime porro in novo revelatur. Egregius est Paulli locus in *Ep. ad Rom. V.* 12. quo priorem hominem secundo opponit, Adamum scilicet, qui peccato suo nos omnes in mortem, et condemnationem praecipitavit, Christo qui sua iustitia nos in iustificationem vitae revocavit. *Sicut*, inquit, *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quid boni adferant Pelagiani adversus tantum testimonium? Vix

habent unde obmurmurare, de actuali peccato Adami id dumtaxat intelligendum. Vae, si hoc unum habent effugium, quo ipsi se perstringunt! Si enim de actuali peccato ea verba accipias, falsum est per unum hominem peccatum intrasse in mundum, nam ante Adamum peccarunt Angeli, peccavit et Eva. Cur ergo non dicitur per Angelos invectum peccatum, et mortem in homines? Cur non per Evam? De uno igitur originali peccato Adami ibi sermo est, in quo homines omnes peccaverunt (44).

---

(44) Ad Graecum textum confugit Iulianus apud Augustinum *Lib. I. Oper. Imperf.* scriptum enim est: εφ' ω παντες ημαρτον; contenditque particulam επι cum tertio casu reddendam *eo quod*, non vero *in quo*; sic ut Apostolus peccatum non propagatione, sed imitatione transfusum doceat. In eamdem insaniam convenerunt Ioannes Clericus (is enim est, qui sub simulato Ioannis Phereponi nomine latitat) in *Animadvers. ad Epist. CLVII. Augustini*, nec non Erasmus, Richardus Simonius, Harduinus, Beruyerius; id amplius obtendentes, nullum prorsus exemplum in Novo Testamento extare, in quo vocula επι reddatur *in*. Scilicet et iam non Theologos, sed et Grammaticos nos esse volunt; utique nihil recu-

II. Quam doctrinam fusius idem explicat Apostolus in *I. ad Corint. XV.* 21. *Per ho-*

---

samus. Vereor tamen ne ipsi se sicuti falsos Theologos, ita et falsos grammaticos prodant, non enim audeo vel imperitos, vel eo usque stolidos dicere. Do autem libens, praeterfugisse omnino hos Graecae linguae peritissimos exempla quae in Matthaei, et Marci Evangelio plane abundant; sed qui credam ego non vidisse illos Paullum eadem epistola, eodem capite, versu secundo επι pro εν usurpasse? Scriptum ibi επ' ελπιδι της δοξης *in spe gloriae*. Ergo falsi sunt, caeci sunt, haeretici sunt! Quid si ibidem alterum occurrat exemplum? habent versu decimo quarto: επι τω ομοιωματι της παραβασεως Αδαμ *in similitudine praevaricationis Adae*. Ergo impudentissimi sunt. Vin quocum hominum genere contendendum nobis est! Mitto praeterea quod lectionem nostram, *in quo*, omnes antiquae versiones, et Latinae Ecclesiae Patres, nec non Concilia Milevitanum, Carthaginiense, Arausicanum II. et Tridentinum sarctam tectam servarunt; *quis ab omni humano sensu* (Iulianum sic perstringebat Augustinus *Lib. VI. contr. Iulian. cap. XXIV.*) *tam sit absurdus, ut dicat: propter hoc fecit homo iste homicidium, quia in paradiso Adam de ligno prohibito cibum sumpsit?* Ceterum Graeci textus particulam verti omnino debere in quo, adprime do-

minem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. In primo igitur homine omnes mortui sumus, quia in eo peccavimus omnes, in secundo homine (Christo) de morte in vitam revocamur omnes, per gratiam eius, quae vivificat nos. Taceant autem Pelagiani, contendentes, non propagine, sed imitatione Adamum ad posteros suos transmisisse peccatum. Taceant inquam, quandoquidem si Apostolus in peccatum, quod per imitationem intraverit, intendisset, eius principem non Adam, sed diabolum nominasset, de quo scriptum: *ab initio diabolus peccat.* Quum porro in parvulos mors desaeviat, quid potius dices? quomodo morti obnoxios dices eos, qui numquam peccando imitati sunt Adam? Quid quod Apostolus idem in *Epist. ad Rom. V.* ait sicut per unius delictum in omnes homines invectum peccatum, ita per unius obeditionem iustos constitutos multos.

---

ctissimeque evincunt Zegerus, Iacobus Cappellus, tum et Waltonus in Polyglottis; quas inter observatu potissimum dignas habes versionem Arabicam, et Aethiopicam. Quid quod Theodorus Bezza, et Smidius, multis Graecorum unde unde

Iustitiam autem a Christo imitatione sola acceptam non esse, manifestum est. Nam iustitiam Christo acceptam referunt veteres Sancti, qui Christum praecesserunt, adeoque eum imitari nequiverunt; et per Christum iustificantur parvuli, qui neque cognoscere, neque imitari illum possunt. Igitur sicut Christus occulta gratiae suae inspiratione iustos nos efficit, ita et Adam occulta naturae depravatione nos constituit peccatores.

III. Sed et aliud superest Apostoli testimonium. Ad Ephesios enim scribens II. 3, *Nos omnes*, inquit, *eramus natura* (45) *filii irae: sicut et ceteri*. Quomodo enim natura, nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inolevit? Id non vice simplici Pelagianis opposuit Augustinus, vimque in eo quantamcumque Sancta Tridentina Synodus agnovit *Ses. VI. Cap. I.*

IV. Praeterea longe aptiora ad originalis labis constabiliendum traducem sunt, quae

---

conrasis exemplis, Pindari in primis, ac Hesiodi, eamdem firmant lectionem. Habes igitur et ipsorum protestantium calculos, quibus genuina vulgatae versionis lectio firmatur. Sed haec satis.

(45) Graece est: και ημεν τεκνα φυσει οργης *nos enim omnino eramus filii irae.*

necessitatem regenerationis inculcant, ut generationis vitium tollatur. Huiusmodi est Ioannis illud *III.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Nimirum Baptismus in remissionem peccatorum datur, quemadmodum in Symbolo profitemur. An vero in remissionem peccati actualis? sed parvuli nullius profecto actualis reatus rei sunt. Ergo nulla alia eos baptizandi necessitas patet, nisi in originalis peccati remissionem (46).

---

(46) MANTISSA

Nonnulla ex ratione excavantur momenta, quibus amplius originale peccatum evincitur.

Postremo haud pluribus id mihi nunc est expediundum, an singulare quid ex ratione ad originariam noxam firmandam extricari possit. Sane praeludii loco Pelagianos primum compellabo: cui bono in baptizandis parvulis tot ab Ecclesia ab aevo usque Apostolico, iamdiu nimirum ante Pelagianam pestem exortam adhibiti ritus, si nullo illi essent obstricti peccato? Cui bono ἐξορκισμος

V. Profecto enim tanti argumenti vim non

---

ille *Exorcizo te omnis spiritus immunde, ut discedas ab hoc plasmate Dei*? Cui bono illud cum flatu mistum imperium: *Exi ab eo immunde spiritus, et da locum Spiritui Sancto Paraclito*? Cui tandem bono et interpellatio illa? *Abrenuncias Satanae*? si a potestate demonis plane liber sit infans, et cuiusvis expers peccati. Dicam amplius; ut quid tanta parentum sollicitudo, ut quam praepropere filii recens nati regenerationis lavacro abluantur? Profecto et haec adminicula ad saturitatem Pelagianis offerebat Augustinus tum in *Libro de Peccat. Originali Cap. XXX.* et sequenti, tum vero in *Libro IV. contra Iulianum Cap. XII.* Quin arcte quantum in duriusculis istis frustulis deglutiendis Pelagianorum fauces stringerentur, vel ex eo intelligere abunde est, quod ad pura puta stultiloquia confugerent. Ergo dempto peccato, quae necessitas vel circumcisionis in veteri, vel baptismi in novo Testamento? Dempto peccato, quae Redemptionis necessitas; vel quomodo omnes rei nascerentur? Dempto peccato, quae necessitas adfligendi carnem cum vitiis et concupiscentiis suis? Vel unde in ipsis infantibus vitiorum omnium semina deduces, et propensionem illam in mendacium, in voluptatem, in iram, in vanitatem, in luxum? Profecto hinc patet istam haud naturam instituti hominis esse, sed poenam damnati.

effugient Pelagiani, quo ut omnino disiectos

Praeterea et altera accedit argumentatio, ac fortasse vehementior, quam Pelagianis ex vitae miseriis, aerumnisque, quibus undique circumdamur, propinabat Augustinus. *Iugum grave* (scriptum est Ecclesiast. *Cap. XL.*) *super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium cogitationes eorum, et timores cordis, adinventio expectationis, et dies finitionis . . . furor, zelus, tumultus, fluctuatio, et timor mortis, iracundia perseverans, et contentio . . . Adhaec mors, sanguis, contentio, et romphaea, oppressiones, fames, et contritio, et flagella*; ut videlicet non disputare, sed insanire prorsus videatur, qui corporis animaeque infinitas aegritudines, molestiasque, et mortem denique ipsam animadvertens, haec mala tamen esse perneget. Quum autem miseriae istae sint poenae, poenae autem ab iusto Deo infligi non possint, nisi ob peccatum; sequitur nec ipsos infantes, quibus huiusmodi sunt inflictae poenae, sine peccato esse. At vero nullum hi admiserunt peccatum voluntate propria, qua nondum uti potuere; ergo habent peccatum quod per originem ab Adamo contraxerunt. Egregie Augustinus Lib. VI. Oper. Imperf. *Sub Deo iusto miser esse quisquam, nisi mereatur, non potest . . . Iustus est Deus, et ideo nascentes nec facere, nec fieri sineret miseros, nisi nosset reos . . . Ipsi nullum sicut pu-*

eos existimemus, ipsa eorum futilissima re-

---

tatis, trahentes peccatum, immeritas, si hoc ita esset, procul dubio sustinent poenas, ubi est iustitia Dei? quam si cogitares, numquam crederes, sine ullo merito peccati originalis tam miseros esse nascentes.

Hisce humanae vitae miseriis etiam insontes homines premi, ipsi adprime viderunt Gentiles; qui tamen tantis ambagibus, tantoque mysterio perterriti, et unde potius ista malorum illuvies in totum genus hominum corrivaret prorsus nescientes, in adversa scissi sunt studia. Alii in naturam potius novercam, quam matrem, mali originem refuderunt, quasi de via deflexerit, teste Tullio (apud Augustinum Libro IV. contra Iulianum Cap. XII.) » Aequius cum ceteris animantibus, quam nobiscum egisse naturam exaggerant; hominem enim edidit nudo, fragili, et infirmo corpore, animo vero anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad concupiscentiam, in quo tamen inesset divinus ignis ingenii, et mentis, quo calamitates suas sentiens magis magisque torqueretur; cum bruta vestita nascantur, armisque ornata, miseriis hisce minime, ut nos detineantur, stupidumque habere soleant animum, quo hebetati, quidquid calamitatum sustinent, haud intelligant ». Haec Tullius; sed naturam qui accusat, nonne Deum naturae auctorem accusat? Alii in materiam inob-

sponsio commonstrat. Necessario enim parvu-

---

sequentem, ex qua nec aliter fieri, nec aliter constare potuit mundus, ne plurima mala consequerentur praeter artificis voluntatem; at materiam hanc qui redarguunt, nonne Deum redarguunt, velut impotentem, cui nec melior, nec obsequentior praesto erat materia? Alii in superiori quadam vita peccasse mentes fabulati sunt, eoque peccato praecipitatas, et in corporum carceribus inclusas; sed haec aegri somnia sunt, minimeque indigent ut refellantur. Alii demum ex duplici principio bono, ac malo mundum aequa boni malique mensura conflatum dixerunt; verum hi bonum, et malum veluti duas efficientes caussas ex aequo obtendunt, neque animadvertunt stulti, malum esse defectum boni, esseque caussam potius deficientem.

Ergo videbant, ergo sentiebant miserias Gentiles, sed cui culpae incubabant, nesciebant. Quam ob rem Tullii verba perpendens Augustinus, sic inquit ibidem: *Rem vidit, caussam nescivit, latebat enim eum, cur esset grave iugum super filios Adam, quia sacris litteris non eruditus ignorabat originale peccatum.*

At quid si non rem tantum, sed et caussam etiam in comperto plerisque gentilium fuisse dicam? Quid si paria plane cum Mose, si paria nobiscum senserint, mortalitatemque ipsam non naturae, sed poenae imputaverint? Scite id ex

lis, inquiunt, Baptismum, ut regnum Dei,

---

vetuto Campano marmore edocemur tametsi truncato, quod Capuae in porticu S. Angeli in Formis antehac visebatur, nunc vero in pago Sancti Clementis prope Casertam extat, in domo Clarissimi Francisci Danielis, Viri optimi ac priscis moribus, mihique iamdiu ab ipsa adolescentia familiaritate devincti. Marmor autem hoc est, quod ipse meis oculis, quum apud amicissimum virum, relaxandi animi ergo, divertissem anno MDCCXC. vidi excripsique. Mendose enim, atque in multis deforme id antehac produxit Reinesius in Syntagmate Inscriptionum antiquarum.

VNA. DIES. ADIMIT. CRUDELI. CLADE. PEREMPTAS
QUIS. ARA. HAEC. POSITA. ST. POENA. HOMINIS. MISERI
FILIA. NAMQUE. PERIT. PERIT. ET. MATER. EUMDEM
DESERIT. ILLA. PATREM. DESERIT. ILLA. VIRUM

In quo vides conceptis verbis *Mortem* ab ipsis profanis habitam pro POENA HOMINIS MISERI; ubi et illud HOMO MISER Mosaicum plane sapit. Corrogarem huc et huiusmodi sapidissimas alias ex Gentili antiquitate cupedias. Sed fuse alibi me de hoc argumento egisse memini. Tantum vero hic non praeteream pulcherrimum Catanense marmor Christianum ap. Cl. Gabr. Castellium Sicil. Inscript. Clas. XVII. n. 73.

non item ut vitam aeternam consequan-

ΑΠΑΣΑ ΓΕΑ ΚΑΙ ΠΛΑΤΟΙΣ ΑΗΡ ΓΕΝΑ
ΣΟΙ ΘΑΝΑΤΕ
ΕΞΑΠΙΝΗΣ ΜΟΥ ΤΟ ΒΡΕΦΟΣ
ΗΡΠΑΣΕ . . .
ΤΙΣ ΑΝΑΝΚΗΣ ΠΑΡΕΓΗΡΑ ΟΥΧ
ΕΙΣΟΜ . . .
ΕΓΕΝΗΘΗ Ο ΚΥΡΙ ΑΓΑΘΩΝ
ΙΕ
ΚΑΛΑΝΔΩΝ ΝΟΕΝΒΡΙΩΝ

ΗΜΕΡΑ ΚΡΟ
Ε
ΕΖΗ. Μ. Ι, ΑΠΕΘΑΝΗ. Ι.
ΚΑΛΑΝΛΩ ΣΕΠΤ . . .
ΗΜΕΡΑ ΗΛΙΟΥ ΚΙΡΙΑ ΑΓΑΘΗ
ΕΙΡΗΝΕ ΠΑΣΙ

quod sic latine vertas;

Vniversa terra, et spatiosus aer
generat pro te o mors.
Repente meus puer raptus est . . .
necessitate consenuit non . . .
natus ipse sorte bonorum ante XV.
Kalendas Novembris die Domini.
Vixit menses X. ante Kalendas Septembr.
Die solis Dominica. Bona pax cunctis.

tur (47). Proh Deum quae ista est insipientia! Undenam Regni Dei a vita aeterna distinctionem istam ineptissimam, ne quid peius dicam, didicerunt, vel cui fundamento subnixam dicent eam, quam expressissime Christus exclusit? qui ubi electis dixerit: *possidete paratum vobis regnum*, e vestigio subdit: *ibunt hi in vitam aeternam*; quo loco prorsus iugulantur.

VI. Sed pessimam quantum tuerentur caussam, ipsos profecto vidisse Pelagianos, ex eo patebit, quod Augustini solidissimis pressi argumentis eo tandem confugerint, ut non peccatum, sed peccati poenam in Adae posteros dimanasse dixerint. Sed heu miserum effugium! Iniustum aiunt, filios Adam nondum existentes culpam parentis contraxisse;

---

(47) Iulianus vero baptismum eo necessarium dictitat, ut Christus sua dona in infantibus augeat, non vero ut a peccatis hi liberentur. Unde Augustinus stultitiam hominis irridens potius, inquit *Lib. III. contr. Iulian. Cap. III. Pueri ergo, in Sacramento Salvatoris baptizantur, sed non salvantur, redimuntur, sed non liberantur, lavantur, sed non abluuntur, exorcizantur, et exufflantur, sed a potestate diaboli non eruuntur. Haec sunt sententiarum portenta vestrarum: haec inopinata mysteria dogmatum novorum.*

et non vident, magis iniustum esse quod ipsi contendunt, innocentes homines supplicio puniri, et trahere mortem sine merito mortis (48), contra quam Apostolus edixerat, per unum hominem peccatum intrasse in mundum, et per peccatum mortem, in quo omnes peccaverunt. Sed eccur Christus in mundum venerit, nisi ut peccatores salvos faceret? Si venit de Caelo magnus medicus, magnus in orbe terrarum iacebat aegrotus, diserte inquit Augustinus. Dicant nunc, nonne et pro parvulis venerit? utique pro omnibus venit, et Apostolo testante *mortuus pro omnibus*. Ecquo autem alio morbo obstrictos dicant parvulos, nisi originali?

(48) Adeas Augustinum *Lib. IV. contr. duas Epist. Pelagian. cap. IV.* ipsissimis ferme verbis Pelagianis resistentem. Accedit quod Synodus Arausicana II. an. DXXIX. id opinionis monstrum damnaverit Canone secundo: *quia iniustitiam Deo datur dicendo poenam infligi sine culpa.*

SECTIO V.

Peccati Originalis in omnes homines transfusio, ex Traditione evincitur.

I. Quae Maiorum nostrorum de peccati originalis transfusione, antiqua, et Apostolica fides fuerit, vel ex eo cumulatissime quivis intelliget, quod ubi malo pessimo erupit Pelagius, universa in eum Catholica Ecclesia non uno habito certamine convenerit, nec a pugna destiterit, nisi haereseos praevaricatione ubique prostrata, victoriam de hoste triumphato retulerit insignem (49).

II. Quibus autem armis hostem subegerunt Patres nisi perpetua maiorum traditione, nisi Apostolica fide? Sane Augustinus aperte Iuliano istam fidei antiquitatem opponit *Lib. II. contr. Iul. Cap. X. Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Hinc multam Patrum cohor-

---

(49) Vide quae mox dabimus in Praefat ad Librum VI.

tem Sanctus Pontifex in medium adducit, et quasi iudices hac in caussa sedere voluit.

III. Et quidem S. Cyprianus rogatus, an baptismus infantum usque ad octavum diem, circumcisionis instar, differri poterat, haec respondit in Epistola ad Fidum: *Porro autem si etiam gravissimis delictoribus, et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit. Qui ad remissam peccatorum accipiendum, hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata*; nimirum non actualia, sed originale. Sane luculentissimum hoc Cypriani testimonium non Augustinus tantum in Concilio Carthaginiensi, ubi Coelestii fauces suffocatae, sed Hieronymus etiam adversus Pelagianos produxit (50).

(50) Confersis Augustinum *Lib. I. contra Iulian.* tum et *Lib. IV. ad Bonifacium contr.* II. *Epist. Pelag. Cap. VIII.* et Hieronymum *Lib. III. advers. Pelagianos.*

IV. Post Cyprianum, Augustinus Reticium Episcopum Augustodunensem, nec non Olympium Hispanum commemorat, quorum lucubrationes iam modo desiderantur. Hinc Hilarium Pictavensem urget, qui in Apostoli verba, *in quo omnes peccaverunt*, haec opportune commentatur. *Manifestum est, in Adam omnes peccasse, quasi in massa: ipse enim per peccatum corruptus, omnes quos genuit, nati sunt in peccato*. Innumera praeterea et ex Ambrosii scriptis conrasit testimonia *Lib. I. contr. Iulian. Cap. II.* ex quibus unum, et fortasse alterum seligemus *Omnes in Adam* (inquit Ambrosius *Lib. IV. in Lucam*) *morimur, quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Illius ergo culpa mors omnium est*. Et rursus *Lib. VII. fuit Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et in illo omnes perierunt*. Sed adhuc Optatus Milevitanus audiendus *Lib. IV.* contra Parmenianum: *Neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de Christianis parentibus nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi ac separari*. Hieronymus denique in *Cap. IV.*

Ionae. Nullus absque peccato , nec si unius quidem diei fuerit vita eius , et innumerabiles anni vitae illius. Si enim stellae mundae non sunt in conspectu Dei , quanto magis vermis et putredo , et ii qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii ? Qui Hieronymi locus aptissimus Augustino visus *Lib. III. de Peccat. meritis , et remiss. Cap. VI.*

V. A Latinis ad Graecos veniam , quorum agmen Sanctus Iustinus Martyr ducit , quippe in *Dial. cum Tryph.* solum Iesum Christum sine peccato natum diserte fatetur , et ad Iordanem venisse *humani generis caussa, quod per Adam in mortem , et fraudem, seductionemque serpentis conciderat.* Quin et hanc inter primum et alterum Adam conceptis verbis constituit antithesim : *ut sicut unius inobedientia causa est damnationis omnibus , qui corporaliter ab eo descendunt ; ita Christi obedientia confert vitam iis , qui per ipsum spiritualiter regenerantur.* Accedit Tatianus , cuius hoc est testimonium in Oratione contra Gentes : *Nos propter priscorum hominum inobedientiam Spiritum Dei , perfectam iustitiam , sanctitatemque amisisse.* Non minus expressa , atque illustria sunt quae Sanctus Irenaeus Lugdunensis Episcopus habet (*Lib. V. advers. haeres. Cap. XVI.*) De-

um in primo Adam offendimus non facientes eius praeceptum; *in secundo autem Adam reconciliati sumus*, *obedientes usque ad mortem facti.* Cuius auctoritatem tanti fecerat Augustinus, ut saepe illam Iuliano obiiceret, cum alibi pluries, tum vero *Lib. I.* contr. Iulian. Cap. III. *Iste ait* (Irenaeus) *non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga*, *nisi credant in eum*, *qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra*, *et omnia trahit ad se et vivificat mortuos.* Quid vero de Athanasio dicam, cuius et ponderosissima testimonia Augustinus adversus Pelagianos coegit? Huiusmodi est illud in *Ps. L. Omnes qui ex Adam oriuntur*, *in iniquitatibus concipiuntur*, *proavi sui damnatione collapsi.* Et in *Lib. de Incarnat. Lapso Adamo in omnes homines peccatum dimanavit.*

VI. In eamdem fidem S. Basilium habemus convenientem *Serm. I. de Ieiunio*: *Si ieiunasset a ligno Eva*, *non isto indigeremus ieiunio*, *non enim opus habent valentes medico*, *sed male habentes.* Basilio Gregorium Nazianzenum succensemus *Orat. XXXVIII. 4. Deposito veteri homine novum induamus*, *et sicut in veteri Adamo mortui sumus*, *ita in Christo vivamus* . . . . *Ubi enim abun-*

davit peccatum, superabundavit et gratia: et si gustus condemnavit, quanto magis Christi passio iustificavit? Cuius testimonio quam quo maxime Iulianum exagitabat Augustinus: *tibi parva*, inquit, *in uno Gregorio Episcoporum Orientalium videtur auctoritas? est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret, nec illi eum tam clarum haberent, atque venerandum, nisi haec ab illo dicta ex regula notissimae veritatis agnoscerent.* Mox eumdem sic fatur: *Non est ergo, cur provoces ad Orientis antistites, quia et ipsi utique Christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una est, quia et fides ista Christiana est.*

VII. Venio nunc ad Sanctum Ioannem Chrysostomum, quem in suas trahere partes impudentissime conantur adversarii. Sane ego haud umquam inficiabor, Pelagianis nondum litigantibus securius Patres esse loquutos, quemadmodum ab Augustino accepimus; verumtamen quae ista insania est? sed insaniam ne, an perversitatem dicam, quum insignissima in hanc fidem sint Chrysostomi testimonia, quibus acri contentione Pelagianos Hipponensis Pontifex divexabat? Audias eum in Epistola ad Olympiam: *Quando Adam peccavit*

illud grande peccatum, *et omne genus hominum in commune damnavit*, *de moerore poenas luebat.* Adhuc vero expressius in *Homilia ad Neophytos* ex Augustini versione : *Venit semel Christus*, *invenit nostrum chirographum paternum*, *quod scripsit Adam*: *ille initium induxit debiti*, *nos foenus auximus posterioribus peccatis.* Quid de Chrysostomi mente adhuc dubitatur ? qui amplius garriendi locus ? Habes debitum paterni chirographi , quod hereditario iure nobis inhaesit ; habes et debita nostra , quibus foenus crevit.

VIII. Nisi igitur Chrysostomum Chrysostomo adversari dicas , secus de illius mente sentiendum , quam inani conatu Pelagiani sollicitant. Quod enim Beatissimus Pater scripsit, *Adamo lapso* , *ii etiam qui de ligno non comederant* , *effecti sunt ex illo omnes mortales* ; non eo sensu accipiendum , ut si mors tantum , non autem culpa ex Adami peccato dimanaverit. Ipse dixit , *poenas neminem debere, nisi ex se peccator fuerit.* Haec qui attendat,Chrysostomi mentem probe tenet. Mors est poena peccati , quomodo ergo poena sine culpa in Adae posteros transit ? Illud igitur *effecti sunt omnes mortales* tantumdem est , ac *effecti sunt omnes peccatores* , *ac propte-*

rea mortales. Nec est porro cur sibi plaudat Iulianus, quod in *Hom. ad Neophytos* parvulos peccata non habere Chrysostomus dixerit. Cum Augustino dicam : *intellige propria*, *et nulla erit contentio*. Parvuli enim non propria habent, sed aliena peccata, ut Beatus Cyprianus loco supra recitato inquit. Quo sensu loquebatur Apostolus de Jacob, et Esau, *quum nihil boni egissent, aut mali*. Adhuc tamen quaerenti Iuliano : quod si ea fuerit Chrysostomi mens, cur non addiderit *propria*, opportune illum suffocat Augustinus *Lib. I. contr. Iulianum Cap. VI.* » Quia disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur : tali enim quaestione nullus pulsabatur ; et vobis nondum litigantibus, securius loquebatur ». Reliqua non moror, quae neque conciliatore indigent, neque interprete.

IX. Vides ergo iure quantum miram hanc Patrum omnium consensionem auctoritatemque (51) universali Synodo comparaverit Au-

(51) Mirum fortasse cuiquam videri poterit, quod Augustinus nec Tertullianum, nec Origenem Pelagianis opposuerit, quum ambo praeclare de Originali peccato senserint. Quod ad Tertullianum enim spectat, utique in *Lib. de testim. animae* Cap. III. haec habet : *per quem* (diabo-

gustinus *Lib. II. contr. Iulian. Cap. ult. Si Episcopalis Synodus ex toto orbe convocaretur, mirum si tales possent illic facile tot sedere, quia nec ipsi uno tempore fuerunt.*

lum) *homo a primordio circumventus, ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum suae etiam damnationis traducem fecit.* Et adhuc expressius uno et altero verbo rem expedit *Lib. de Resur. Carnis Cap. VIII.* » Caro abluitur, ut anima emaculetur »; Cuiusmodi innumera fere huc adducere possem testimonia, potissimum *Lib. cit. Cap. XL.* nec non *Lib. I. contr. Marcion. Cap. XXII.* et alibi. Origenes vero *Hom. VIII. in Levitic.* expresse docet, uno excepto Iesu Christo, quemlibet hominem in peccato nasci: additque baptisma parvulis dari in remissionem peccatorum, *quum utique* (eius verba sunt) *si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur.* Videtur igitur nisi me iudicium magnopere fallat, Augustinus vel ideo insalutatos illos reliquisse quod utriusque auctoritas magni non erat in Ecclesia momenti. Quid quod Origenes Pelagianis in eo maxime favisse videtur, quod *Lib. II.* περι αρχ. *Cap. IX.* huius vitae calamitates non in peccatum originale refundit, sed ad superiorem vitam actam in peccatis, quorum poenas animae postea in corporibus darent.

Sed nec praeterea est cur Concilia desideres. Antiquam enim Catholicae Ecclesiae fidem (52), ubique, et ab omnibus, ac semper credi-

(52) Innumera ad traditionem firmandam ex antiquis Christianis monumentis adferre huc possem cimelia nisi ad alia properaret oratio. Piaculum attamen prope duco Sixti Tertii Pont. M. Epigramma praeterire, Romae in Baptisterio Lateranensi, quod primus omnium Cl. Panvivius exscripsit in *Comment. de VII. Vrb. Eccles.* atque exinde Baronius ad an. CCCCXL.

Gens.sacranda. polis. hic. semine. nascitur. almo.
Quem. fecundatis. spiritus. edit. aquis
Virgineo. foetu. genitrix. Ecclesia. natos
Quos. spirante. Deo. concipit. amne. parit
Coelorum. regnum. sperate. hoc. fonte. renati
Non. recipit. felix. vitae semel: genitos
Fons. hic. est. vita. et. qui. totum. diluit. orbem
Sumens. de. Christi. vulnere. principium
Mergere. peccator. sacro. purgande. fluento
Quem. veterem. accipiet. proferet. unda. novum
Insons. esse. volens. isto. mundare. lavacro
Seu. patrio. premeris. crimine. seu. proprio
Nulla. renascentum. est. distantia quos facit unum
Unus. fons. unus. spiritus. una. fides.
Nec.numerus.quemquam. scelerum. nec.forma.suorum
Terreat. hoc. natus. flumine. sanctus. erit.

Ex quo vide opportune quantum adversus tum temporis recentem Pelagianam haeresim, catholi-

tam, avitamque traditionem toto orbe diffusam, testatissimam facit Conciliorum (53) quatuor supra viginti inconcussa auctoritas, quibus Pelagiani per universam Christianorum terram proscripti. Quibus et postremum pondo ex Tridentino Concilio accessit *Sess. V. Cap. II.* » Si quis Adae praevaricationem » sibi soli, et non eius propagini adserit no» cuisse, et acceptam a Deo sanctitatem,

---

cam de peccato originis adsertionem Sixtus Pontifex litterato marmori consignaverit. Porro Adami lapsum, eoque universum hominum genus infectum probe habes et in altero marmore, Moguntiae in ruderibus Aedis D. Albani, quod Brovverius in suis Trevirensibus annalibus producit, atque Megingozio Comiti adscribit ad an. DCCCXCVI.

Postquam. primus. homo. paradisi. gaudia. liquit
Illius. omne. genus. mors. inimica. tulit
Nullus. enim. regum. nullus. mediocris. in. orbe
Aspera. ab. hac. liber. conditione. fuit
Hanc. legem. sequitur. tumulo. qui. clauditur. isto
Nomine. Megingoz. fonte. sacrante. pio.

(53) Conferas, si lubet, Ioannis Garnerii *Dissert. II. in Marium Mercatorem*; Concilia enim quotquot in Pelagianorum caussa, vivo adhuc Augustino, sunt habita, summa diligentia collegit auctor.

» et iustitiam quam perdidit, sibi soli, et
» non nobis etiam eam perdidisse, aut in-
» quinatum illum per inobedientiae pecca-
» tum, mortem, et poenas corporis tantum
» in omne genus humanum transfudisse, non
» autem et peccatum, quod est mors animae,
» anathema sit, cum contradicat Apostolo
» dicenti: *per unum hominem peccatum in-*
» *travit in mundum, et per peccatum mors,*
» *et ita in omnes homines mors pertransiit;*
» *in quo omnes peccaverunt.*

Sectio VI.

Pelagianorum sophismata diluuntur.

I. Scripturarum auctoritate, perpetuisque Maiorum traditionibus pressi Pelagiani, ad cavillationes tandem confugiunt. Quemadmodum vero Augustinum adhuc usque sequuti sumus, modo Scripturas Pelagianis opponentem, atque interpretantem, modo antiquiorum Patrum testimonia congerentem, ita hac potissimum parte ducem illum sectamur, quippe Iuliani Eculanensis, hominis in dialectica exercitatissimi sophismata omnia invicte refutavit, explositque.

II. Non peccat iste qui nascitur, delirat iam Iulianus, quum electionis capax non sit; non peccat iste qui genuit, alioquin illicitus esset coniugii usus; non peccat ille qui condidit, per quas igitur rimas, inter tot praesidia, peccatum fingis ingressum? Cui scite Augustinus *Lib. II. de nuptiis, et concupisc. Cap. XVIII. Quid quaeris latentem rimam, quum habeat apertissimam ianuam? Per unum hominem, ait Apostolus, per unius delictum, ait Apostolus, per unius hominis inobedientiam, ait Apostolus. Quid quaeris amplius? quid quaeris apertius? quid quaeris inculcatius?* Itaque per voluntatem, qua peccavit Adam totius humani generis caput, peccatum in eius posteros transiit.

III. Nec hinc animo vel tantisper cecidit Iulianus; animosior quin alterum urget argumentum. Scripserat enim Augustinus, peccatum nullo modo dari posse, nisi sit voluntarium. Ergo, instabat Iulianus: si Adami peccatum sine nostrae voluntatis electione fuit, quomodo culpae illius obnoxi sumus? Heus tu Iuliane! Non heic agitur de personali peccato, sed de originali, quae est humanae naturae infectio, ad quam contrahendam sufficit naturam habere humanam. Fuit Adam, et in illo fuimus omnes, peccavit Adam, peccavi-

mus omnes, eiusque peccatum nobis voluntarium et liberum fuit voluntate et libertate eius, in quo omnes eramus, et a quo originem trahimus (54).

---

(54) Adprime audiendus S Thomas 1. 2. *Quaest.* 81. *art.* 1. » Omnes homines qui na» scuntur ex Adam, possunt considerari, ut u« nus homo, in quantum conveniunt in natura, » quam a primo parente accipiunt. Sic igitur multi » homines ex Adam derivati, sunt tamquam mul» ta membra unius corporis; actus autem unius » membri corporalis, puta manus, non est vo» luntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate » animae, quae primo movet membrum. Unde » homicidium, quod manus committit, non im» putaretur manui ad peccatum, si considerare« tur manus secundum se, ut divisa a corpore, » sed imputatur ei, in quantum est aliquid ho« minis, quod movetur a primo principio hominis. » Sic igitur inordinatio, quae est in isto homine ex » Adam generato, non est voluntaria voluntate ip» sius, sed voluntate primi parentis, qui movet mo» tione generationis omnes, qui ex eius origine » derivantur, sicut voluntas animae movet omnia « membra ad actum. Unde peccatum, quod sic a » primo parente in posteros derivatur, dicitur o» riginale: sicut peccatum, quod ab anima de» rivatur ad membra corporis, dicitur actuale. » Et sicut peccatum actuale, quod per membrum

IV. Neque hinc sequitur, damnandas esse nuptias, aut peccare parentes dum generant, siquidem nec actus coniugalis, nec ipsi parentes sunt vera caussa peccati originalis, sed tantum conditio, sine qua non traduceretur peccatum originale. Egregie Augustinus Lib. III. contr. Iulian. *Sicut creanti Deo non imputatur, quod rationales naturae a bono deficiunt, sed quod bonum sunt; sic parentibus gignentibus, et malo concupiscentiae bene utentibus, non imputandum est, quod cum eo malo filii nascuntur, sed quod bonum sunt.*

V. Sed etiam Christus Dominus in Adam fuit; et si fuit, etiam peccavit. *Desine* (irruit in Iulianum Sanctus Episcopus *Lib. IV. Op: imperf. Cap. CCIV.*) *vana garrire: omnes qui nondum nati nihil per proprias voluntates agere poterant boni, vel mali, in uno potuerunt peccare, in quo per rationem seminis erant, quando ille propria voluntate*

» aliquod committitur, non est peccatum illius
» membri, nisi in quantum illud membrum est
» aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur
» peccatum humanum; ita peccatum originale non
» est peccatum huius personae, nisi in quantum
» haec persona recipit naturam a primo parente:
» unde et vocatur peccatum naturae, secundum
» illud *Ephes. II. 3. eramus natura filii irae.*

peccatum illud grande peccavit, naturamque in se vitiavit, mutavit, obnoxiavit humanam; unus homo excipiendus, qui ex ipso quidem semine, non tamen seminali ratione procreatus est; si potes, intellige, si non potes, crede. Quam in rem Sanctum Thomam conspirantem habes *Lib. IV. contra Gentes cap.* 52. Christus ab Adamo descendit, quia materiam humani corporis ab eo suscepit, non quia virtutem formativam primo parenti debuisset; Christi enim corpus virtute Spiritus Sancti formatum est.

VI. Adae igitur peccatum generatione in posteros manavit, sed Deus *eduxit illum a delicto suo* (*Sap.* X.) cur et generatione in posteros non manavit poenitentia, et iustitia, quam Dei misericordia recuperavit? *Quamvis peccatum* (ita Sanctus Thomas *Lect. III. in Cap. V. Epist. ad Rom.*) *Adae deletum fuerit per suam poenitentiam . . . . non tamen eius poenitentia delere potuit peccatum posterorum; quia eius poenitentia fuit per actum personalem, qui ultra eius personam non se extendebat.*

VII. Sed parentes ab originalis peccati labe per baptismum purgati, quo potius modo id in filios transfundunt, quod iam non habent? Si palea, opportune occurrit Augustinus, quae

tanta diligentia separatur a tritico, manet in fructu, qui de purgato tritico nascitur; si de olea nascitur oleaster; quid mirum, si peccatum quod mundatur per baptismum, in eos transfundatur, quos gignunt baptitati, vi quadam tabifica concupiscentiae? *Renovati namque parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt*: ***et*** *filii ex parentum reliqua vetustate toti vetusti*, ***et*** *in peccati carne propagati*, ***damnationem veteri homini debitam sacramento spiritualis Regenarationis et renovationis evadunt.***

SECTIO VII.

Quae peccati Originalis natura. Matthias Illyricus, tum Calvini, et Lutheri sectatores prosternuntur. Augustinus, et Thomas explicatur.

I. Nunc vero rem arduam tentamus. **Ita** enim Divinae Sapientiae abscondito iudicio placuit, ut originalis culpae in omnes homines transfusionem edocti adprime probeque ex Scripturis essemus, cuiusmodi autem naturae ea sit omnino ignoraremus. Unde Augustini

decantatissimum illud effatum (*Lib. I. de Morib. Eccl. Cath.*) *Nihil peccato originali ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.*

II. Nec profecto nos in hanc syrtim coniecisset oratio, nisi turbas Lutherani, Calvinianique civissent, omnino prosternendas. Primus omnium, quoad sciam, Matthias Flacius Illyricus, e Lutheranorum schola (55) aquam turbavit, id petulanter, ut parcius dicam, contendens, peccatum non esse pravum accidens, quo anima deturpatur, ut communis est omnium persuasio, sed ipsam animae substantiam in malum prorsus atque ita conversam, ut quae in Adamo erat substantialis Dei imago, in nobis substantialis facta sit imago diaboli. Sed quae ista substantiae immutatio est, quam perversus lutheranus obtrudit? An non Paullum Apostolum numquam non praedicantem audiit *ad Romanos VII. 11. mihi malum adjacet*, et ibidem: *quod habitat in me peccatum.* Et ad Hebraeos XII. 2. *deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum.*

---

(55) Ipsis Lutheranis exosus, exul, et extorris post varisos caus Francofurti ad Moenum miserrimo fato functus est an. MDLXXVIII.

III. Porro mens hominis, quae Adamo nondum lapso propter intelligentem facultatem substantialis erat Dei imago, imagine illa haud per peccatum est spoliata; eadem enim, qua prius, gaudet iam nunc intelligendi volendique facultate. Quae autem per peccatum sublata imago est, quamque necesse est per gratiam renovari, nonnisi in Divinae Gratiae, virtutumque supernaturalium ornamentis sita est, proindeque substantialis imago nullatenus est dicenda. Quod enim imago diaboli per peccatum quisque evadat, id nonnisi per accidens est intelligendum, nimirum quod non secus ac diabolus ad commutabile bonum inordinata voluntate convertitur, atque ab incommutabili bono avertitur.

IV. Communior autem inter Lutheranos Calvinianosque is versatur error, originale peccatum in rebelli carnis concupiscentia positum. Quum autem in patefacto sit, concupiscentiam et in renatis remanere, consectarii loco hinc effutiebant, originale peccatum haudquaquam in regeneratione deleri, tantumque baptizatis id ex misericordia Dei non imputari. At haereticam adduxisse pravitatem tantumdem est ac illam abunde refutasse. Quid enim? Clamat Paullus Apostolus *Ep. ad Rom. VI.* 3. *An ignoratis quia quicumque bapti-*

zati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; et mox Cap. VIII. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.* Et ad Gal. III, 27. *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.* Quid autem est induere Christum, nisi veteri homini exuto renovari, et sanctificari per gratiam Iesu Christi. Et ad Corinth. VI. 11. *Abluti estis, sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* An post huiusmodi tam luculenta Scripturarum Oracula, hiscere contra audeant perversi? Ecquo autem sensu potius *lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti* in Scripturis dici putamus baptismum, nisi eo Sacramento ad novam vitam regeneremur, et *nisi* (ut Ambrosii, et Augustini verbis utar *Lib. II. contra Iul.*) *detersa peccatorum colluvione renovemur*?

V. Hinc Tridentini Patres peremptorium, cumque Scripturis, et constanti Patrum traditione superaedificatum adversus haereticos emiserunt Canonem. *Ses. V.* » Si quis per » Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae » in baptismate confertur, reatum originalis » peccati remitti negat, aut etiam adserit,

» non tolli totum id', quod veram et pro-
» priam peccati rationem habet: sed illud di-
» cit tantum radi, aut non imputari, ana-
» thema sit. In renatis enim nihil odit Deus,
» quia (ad Rom. VIII: 1.) nihil est damna-
» tionis iis qui vere consepulti sunt cum Chri-
» sto per baptisma in mortem.

VI. Ne autem ex concupiscentia, quae in baptizatis manet, adhuc Calvino obganniendi vel susurrandi ansa detur, iugulum illius apertissimo Iacobi Apostoli loco petere praestat (Epist. Can. Cap. I. 14.) *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Ergo concupiscentia in renatis non est vere, et proprie peccatum. Ergo primi concupiscentiae motus, quos inviti patimur, et quibus unusquisque tentatur, distinguntur a peccato, quod generat mortem. Ad redundantiam audi Augustinum egregie Jacobi locum Juliano opponentem *Lib. VI. contra eumd.* « Profe-
» cto in his verbis partus a pariente discer-
» nitur; pariens enim est concupiscentia,
» partus peccatum. Sed concupiscentia non
» parit, nisi conceperit, nec concipit, nisi
» illexerit, hoc est, ad malum perpetran-

» dum obtinuerit voluntatis assensum ».
Vin plura? habe locupletissimam Tridentinorum Patrum sententiam. « Manere autem in
» baptizatis concupiscentiam, vel fomitem
» sancta Synodus fatetur, et sentit; quae
» quum ad agonem relicta sit, nocere non
» consentientibus, sed viriliter per Christi
» Jesu gratiam repugnantibus non valet; quin
» imo qui legitime certaverit, coronabitur.
» Hanc concupiscentiam, quam aliquando
» Apostolus peccatum adpellat, sancta Sy-
» nodus declarat Ecclesiam Catholicam num-
» quam intellexisse peccatum adpellari, quod
« vere, et proprie peccatum sit, sed quia
« ex peccato est, et ad peccatum inclinat.
» Si quis autem contrarium senserit, ana-
» thema sit ».

VII. His opportune animadversis, iam habes, quo nostra tendat oratio. At quandoquidem Augustinum nobis sequi ab initio, propositum est, quo potissimum duce, ac commilitone debellata Pelagiana haeresis est, profecto huius in re proposita permagni duco adsequi mentem. Sed neque multis opus. Sive enim Sanctissimi Patris libros de peccatorum meritis, et remissione discutiamus, sive quos adversus Pelagianos scripsit, in eo totum esse manifestissime videmus, ut duo in

originali peccato distinguat, *reatum* nempe, et *concupiscentiam*, quorum ille per baptismi lavacrum solvitur, haec, illo soluto, in adultis ad agonem usque manet *ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas, utpote quae transiit reatu, et manet actu.* Scilicet igitur peccatum originale est concupiscentia cum reatu. Quod ita pronunciamus, ut toto coelo ab novatorum deliramentis distemus. Illi enim, quum in renatis remaneat concupiscentia, effutiunt perdurare itidem originalis culpae reatum, neque deleri, sed tegi dumtaxat, ac tantum non imputari. Nos contra unum ab altero cum Augustino distinguentes, reatum quidem omnino remitti in baptismo, delerique quidquid veram et propriam peccati rationem praesefert, profitemur; concupiscentiam vero remanere.

VIII. Id quod ipso praeeunte Augustino expressissime docuit S. Thomas (*I.* 2. *Quaest.* 82. *art.* 3.) « Est attendenda caussa origi-
» nalis peccati ex caussa originalis iustitiae,
» quae ei opponitur. Tota autem ordinatio
» originalis iustitiae ex hoc est, quod volun-
» tas hominis erat Deo subiecta. Quae qui-
» dem subiectio primo, et principaliter erat
» per voluntatem, cuius est movere omnes
» alias partes in finem. Unde ex aversione

« voluntatis a Deo consecuta est inordinatio « in omnibus aliis animae viribus. Sic ergo « privatio originalis iustitiae, per quam vo- « luntas subdebatur Deo, est formale in pec- « cato originali; omnis autem alia inordina- « tio virium animae se habet in peccato ori- « ginali, sicut quiddam materiale. Inordina- « tio autem aliarum virium animae, praeci- « pue in hoc attenditur, quod inordinate « convertuntur ad bonum commutabile; quae « quidem inordinatio communi nomine potest » dici concupiscentia. Et ita peccatum origi- « nale materialiter quidem est concupiscen- « tia, formaliter vero est defectus originalis « iustitiae ». Quod ipsum fusissime alibi, et invictissimis argumentis evincit. *Lib. II. Sentent. Dist. XXX. quaest. I. art.* 3.

IX. Fortasse autem mirari quis posset, quod concupiscentia statuatur peccati originalis materia quum reipsa non sit nisi eiusdem peccati effectus. Plane ita se se rem habere, ultro damus, si actuale Adae peccatum attendatur, in quo primum quidem iustitiae originalis privatio, deinde vero rebellio partis inferioris contra rationem, tum et virium deordinatio intelligitur. Verumtamen si peccatum ipsum spectetur, prout origine in posteros descendit, tunc utrumque simul est,

aversio nimirum a Deo, et conversio ad creaturas, seu inordinata rerum creatarum concupiscentia. Peccatum enim originale, est peccatum habituale, cuiusmodi in Adamo fuit a primo ruinae suae momento ad momentum usque illud, quo Divina vocante misericordia in poenitentiam est adductus. Tunc autem peccati reatus, seu quod in ipso formale est, remissum omnino fuit; mansit tamen concupiscentia, iustitiam enim originalem amplius non recuperavit Adam, quantum ad inferiorum virium subordinationem, corporisque immortalitatem. Porro quod de Adamo dices, idem et de posteris eius teneas, qui nascuntur originali labe foedati; nempe habitualiter aversi a Deo, et inordinate conversi ad creaturas. In regeneratione autem baptismatis tollitur quidem aversio a Deo, in qua situm est formale, sive reatus peccati; remanet tamen concupiscentiae fomes, qua ad inordinatam conversionem ad creaturas sollicitamur, cui quidem gratia Dei auxiliante resistendum nobis maximopere est. At haec summis digitis attigisse, fortasse sufficit.

Sectio VIII.

Liberum humanae voluntatis arbitrium Originali peccato infirmatum, non autem extinctum. Scripturae explicantur.

I. Arbitrii libertatem, quae veram, atque absolutam quamcumque a se eliminat necessitatem, adhuc post originale peccatum in hominibus superesse, adprime abundeque docent Scripturae. Hinc Geneseos IX. Adamum adloquitur Deus: *Nonne si bene egeris, recipies, si autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Adhuc et clarius testimonium habetur Deuteronomii XXX. 19. *Testes invoco coelum, et terram, quod proposuerim vobis vitam, et mortem, et benedictionem, et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas; et semen tuum.* Sed omnino peremptoria sunt Ecclesiastici XV. 14. verba: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui: adiecit mandata, et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Ap-*

posuit tibi ignem et aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita, et mors, bonum, et malum, quod placuerit ei dabitur illi. Liberum ergo arbitrium originali culpa infirmatum quidem est, non autem ablatum.

II. Quid quod in veteris novique Testamenti Tabulis ubique patent pollicitationes, comminationesque, praecepta, consilia, hortamenta, ac increpationes, terroresque, quae cui bono tandem cederent, nisi superesset in nobis recte aut male operandi arbitrium?

III. Porro autem supervacaneum videtur, Augustini mentem hoc in negotio perscrutari, quo nimirum strenuissime pro humana libertate dimicante, prostratos scimus Manichaeos (56). At ne malesanus quis fortasse arbitretur, Augustinum variatis hostibus animum variasse (57), omnino praestat, et con-

(56) Conferas quae S. Doctor *contra Faustum* scripsit; et tres libros *de libero arbitrio.* « Quaecumque est ista caussa, inquit S. Doctor, « voluntatis, si ei non potest resisti, sine pecca- « to ei ceditur . . . quis enim peccat in eo, « quod nullo modo caveri potest? peccatur au- « tem, caveri igitur potest ». Similia habet in *Lib. de duab. animab. Cap. XII.*

(57) Pugnabat Augustinus cum Manichaeis,

stantis eius doctrinae momenta ex illis potissimum conradere libris, quos contra Pelagianos scripsit. Hinc tumultuantibus Pelagianis, quod gratiae nomine fatalem induceret necessitatem, non tantum invictissimus Doctor non cessit, sed corruptores liberi arbitrii eos incusavit.

IV. Quin iisdem Hieronymi verba ex libro secundo contra Iovinianum Augustino obiectantibus: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec coro-*

---

et Pelagianis. Illi animam in homine suapte natura malam esse effutiebant, eoque non libera voluntate sed naturali quidem necessitate peccare. Pelagiani vero quum originale peccatum denegarent, item et animae vulnera infirmitatemque, adeoque et gratiae necessitatem denegabant. Oportuit igitur primos ita obstringere, ut peccata patrari libera voluntate faterentur, hos vere premere ut libertatem non extinctam, nec tamen robustam remansisse, sed peccati pravitate sauciatam tenerent, ut ita Liberatoris gratia, qua sanaretur, indigeret. Hinc Augustinus et liberum arbitrium adversus Manichaeos obtendebat, gratiae vero necessitatem contra Pelagianos. Duplicem hanc Augustini pugnam qui sedulo perpendit, levissimo halitu adversariorum cavillationes exsufflabit.

na est, opportune respondit in libro de natura, et gratia *Cap. LXV.* « Quis non agno» scat ? quis non toto corde suscipiat ? Quis » aliter conditam humanam neget esse na» turam » ? Mox egregie suam explicat mentem in Epistola CCXV. » Fides sana ca» tholica neque liberum arbitrium negat, sive « in vitam malam, sive in bonam, neque » tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat » aliquid ». Et ideo quum Iulianus conquereretur, eos, qui liberum profitebantur arbitrium, *Coelestianos*, et *Pelagianos* per iniuriam vocari, respondet Augustinus, *Pelalagianum*, et *Coelestianum* non dici, qui liberum adserit arbitrium, quod fide catholica certum est, sed qui liberum quemquam esse adfirmat ad agendum sine Dei adiutorio. Et in Libro de spiritu, et littera *cap. XXXIV.* » vult autem Deus omnes homines salvos fieri, » et ad agnitionem veritatis venire ; non sic » autem, ut eis adimat liberum arbitrium, » quo vel bene, vel male utentes iustissime » iudicentur ».

V. Porro tandem ut Augustini mentem intime quisque adsequatur, id proferam, quod *Lib. I. contra duas epist. Pelag. cap. II.* Iuliano catholicis obiicienti, quod traderent, primi hominis liberum arbitrium periisse, ca-

tholicorum omnium nomine respondet: » Quis » nostrum dicat, quod primi hominis peccato » to perierit liberum arbitrium de humano » genere? libertas quidem periit per pecca- » tum, seu illa, quae in paradiso fuit, ha- » bendi plenam cum immortalitate iustitiam, » propter quod natura humana divina indiget » gratia, dicente Domino: *si vos Filius li-* » *beraverit, tunc vere liberi eritis*, utique » liberi ad bene iusteque vivendum.

VI. Profecto autem longius nostra haec excurreret oratio, si Patrum omnium unde unde couradendis testimoniis hùc adlaboraremus. Quorum instar pauca praestat producere, et ex illis quidem, qui orta iam Pelagiana haeresi scripserunt. Huiusmodi est Auctor Operis de Vocatione Gentium *Lib. I. Cap. VIII.* » Nec quia Spiritu Dei agitur, ideo se putet » homo liberum arbitrium non habere; quod » nec tunc quidem perdidit, quando diabolo » voluntate se dedit: a quo iudicium volun- » tatis depravatum est, non ablatum ». Et » Hieronymus in *Epist. ad Ctesiphontem*, in Pelagium intendens inquit: *frustra blasphemas, et ignorantiam auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare; damnetur ille qui damnat.* Bernardus demum *Serm. VIII. in Cantic.* » Arbitrii libertas est plane divi-

» num quiddam refulgens in anima, tamquam » gemma in auro. Ex hac nempe inest illi » inter bonum quidem, et malum, nec non » inter vitam et mortem, sed et nihilo mi- » nus inter lucem, et tenebras, et cognitio » iudicii, et optio eligendi . . . Unde et li- » berum nominatur arbitrium, quod liceat » versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde » homo ad promerendum potis ». Quibus maximum pondus accedit ex Tridentini Concilii anathemate *Ses. VI. can. V.* » Si quis » hominis arbitrium post Adae peccatum amis- » sum, et extinctum esse dixerit; aut rem » esse de solo titulo, imo titulum sine re, » figmentum denique a satana invectum in » Ecclesiam, anathema sit ».

VII. Scio autem adversarios Paulli Apostoli verba in *Ep. ad Roman. VII.* 15. potissimum urgere, quibus nullam in hominibus arbitrii superesse libertatem inclamant. Inquit enim : *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio . . . nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum . . . Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.* Sed Paulli mentem vel non adsequuntur stolidi, vel non adsequi fingunt impuden-

tes. Non enim Apostolica verba de voluntatis actibus sunt intelligenda, sed de concupiscentia carnis, effraenibusque eius motibus, quibus voluntas non consentit, nisi libere; quibusque profecto divina adiuvante gratia resistere posset; nam idem Apostolus ad *Galat.* v. 17. *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Igitur est Apostolicus sensus: etsi vellem non concupiscentiam sentire, quod malum est, nihilominus eius motus patior; bonum est concupiscentiae motus non experiri, malum est eius agonem sustinere; quod volo bonum, non adsequor; quod nollem malum suffero.

VIII. Sed quoniam in hunc Apostoli locum nos coniicere placuit adversariis, e re maxime censeo occasionem inde eiusdem paullo fusius intrepretandi arripere. Apostolus inquit: *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.* Quod quidem adprime in Christi Domini effatum coincidere videtur *Ioan. VIII.* 34. *omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Ecquod igitur est in peccatoribus liberum arbitrium, si qui peccat, servus est peccati? Sed Paullus se venumdatum sub peccato dixit, quod eius ratio a carnis concupiscentia oppugnabatur, concupiscentia vero ex primo hominis peccato ortum habuit, ideoque

peccatum dicitur, non quod peccatum sit, sed quod ex peccato est, et in peccatum inclinat, et etiam nobis invitis prava excitat desideria. Haec qui sedulo perpendit, intelliget se certe sub peccato venundatum. Quod autem peccatores ex Christi Domini effato servi sunt peccati, non est ita intelligendum, ut libero voluntatis arbitrio sint prorsus exspoliati, sed potius quod pravis habitibus implicati, voluntarie peccato obediunt, velut servi domino; unde Bernardus *Serm. LXXXI. in Cantic.* » Voluntas est quae se, quum es» set libera, servam fecit peccati, peccato « assentiendo ». Subdit Apostolus: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.* Sed quae ista lex est in membris nostris, nisi concupiscentiae vis inclinantis nos in peccatum, quam habemus in membris, nimirum in adpetitu sensitivo per omnia membra diffuso. » Lex ista peccati (inquit Augustinus » *Lib. II. contr. Iulian.*) quae in membris » est corporis mortis huius, et remissa est » regeneratione spirituali, et manet in carne » mortali; remissa scilicet, quia reatus eius » solutus est Sacramento, quo renascuntur fi» deles; manet autem quia operatur desideria, » contra quae dimicant et fideles ». Sed mul-

tum fortasse est quod hanc legem *captivantem* adpellat Apostolus? Verum et hanc explicat vocem Augustinus (*Lib. I. de nupt. et concupiscent.*) *nempe captivare conantem*, *idest ad consentiendum implendumque cogentem*, cui et non adsentiri ex Divina gratia possumus.

IX. Nihil vero miror magis, quam quod Augustini patrocinio saepenumero ipsi glorientur liberi arbitrii osores. Insaniamne istam dicamus, an impudentiam? Age videamus. Irruunt quidem, et satis audacter in nos, quod aperte dixerit Augustinus in Enchiridio *Cap. XXX.* » Libero arbitrio male utens homo et » se perdidit, et ipsum: itaque cum libero » peccatur arbitrio, victore peccato, amis» sum est liberum arbitrium ». Egregie Pelagiani! Sed resistant parumper, sinantque Augustinum ab Augustino explicari. Locupletissimus est locus in *Epist. CCXVII. Cap. IX. ad Vitalem*, ubi Sanctus Episcopus aperte inquit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Videant igitur Pelagiani, in quo Augustinus sitam dixerit liberi arbitrii iacturam, nempe ad diligendum Deum; ex quo patet non de naturali libertate loquutum, sed de supernaturali ad aliquid boni salutaris agendum, nisi

Christus Dominus sua gratia nobis hanc ipsam restituat libertatem. Et re quidem vera in eodem Enchiridii capite, ubi dixisset nos propter Adami culpam factos peccati servos, e vestigio subdit: » Ac per hoc ad peccandum » liber non erit, nisi a peccato liberatus, » esse iustitiae coeperit servus, sed ad bene » faciendum, ista libertas unde erit homini » addicto, et vendito, nisi redimat, cuius » illa vox est Ioan. VIII. 36. *Si vos filius* » *liberaverit, tunc vere liberi eritis?* quod » antequam fieri in homine incipiat, quomo» do quisquam de libero arbitrio in bono glo» riatur opere, qui NONDUM EST LIBER » AD OPERANDUM BENE, nisi se vana » superbia extollat »? Igitur Augustinianei textus, quem perperam Pelagiani sollicitant, hic sensus est, nos peccato Adae iustitia originali spoliatos, factosque diaboli captivos, non posse viribus liberi arbitrii aliquid boni supernaturalis agere; posse id vero cum gratia Domini nostri Iesu Christi reparante, et sanante, quae est omnino ad amissae iustitiae recuperationem necessaria (58).

---

(58) Quin heic opportunum censeo (ne in tuendo libero arbitrio quis exorbitet forlasse) id iterum inculcare, quod Sanctus Hipponensis Pon-

X. Hac munita via, constabit et Augustini mens alibi dicentis *De Civit. Dei Lib. XIV. Cap. XI. Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum, quum vitiis, peccatisque non servit. Tale datum est a Deo, quod amissum proprio vitio, nisi a quo dari poterit, reddi non potest.* Nec vero longe absimile puto, quod idem Augustinus dixerat *Lib. de perfect. iustit. Quia peccavit voluntas, sequuta est peccantem, peccatum habendi dura necessitas*; quo loco Sanctus Episcopus impotentiam resurgendi a peccato demonstrabat, in quam ex perversa Adami voluntate lapsi sumus, nisi Deus sua gratia ab eo nos liberaverit; proindeque infert, non sequutam hinc esse *peccandi* necessitatem, sed *peccatum habendi*. Pugnabat tunc enim Augustinus cum Coelestio de peccato originali, cui quaerenti: *per quid efficiatur homo cum pecca-*

---

tifex continuo docuit, liberum nempe arbitrium sine gratia ad malum valere, ad salutaria autem opera nihil valere. *Haec voluntas* (verba sunt Augustini *Lib. I. ad Bonif. Cap. III.*) *quae libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est; nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

to, per naturae necessitatem, an per arbitrii libertatem? respondit Sanctus Episcopus: *per arbitrii libertatem factum ut esset homo cum peccato*, mox subdit: *sequutam esse peccatum habendi duram necessitatem, donec tota sanetur infirmitas, et accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est, permaneat bene vivendi et numquam peccandi voluntaria, felixque necessitas.* Impotentiam autem non resurgendi a peccato sine gratia, nihil nostrae officere libertati, quisquis ultro fatebitur.

AUCTARIUM

Quomodo in omnes Adae posteros Originale peccatum traducatur.

Tametsi a tricis omnino nostrum abhorreat institutum, haud abs re tamen esse censeo, quid lucis in tenebricosam hanc, ac spinis qua qua versus obsitam quaestionem, adversus insanientes Pelagianos contulerit Augustinus, brevi sermone aperire.

Interpellantibus itaque Sanctum Hipponensem Episcopum Pelagianis, quo potius pacto originale peccatum nobis voluntarium, et li-

berum dici posset, constans is, ac pro veritate firmissimus in eo asseverando versatus est, Adae peccatum liberum ac voluntarium nobis fuisse voluntate et libertate Adami, in in quo omnes continebamur, et a quo naturam lethali contagio infectam GENERATIONE TRAHIMUS. Qua in re et Beatissimi Ambrosii Mediolanensis Episcopi usus est auctoritate (*Lib. I. Oper. Imperf.*Cap. XLVII.) *Fuit Adam, et in illo fuimus omnes, periit Adam, et in illo omnes perierunt.* Nimirum omnes in Adamo fuisse inquit Ambrosius *non propter arbitrium singulorum* (verba sunt Augustini Libro IV. contra Iulianum) *sed propter originem seminis, unde omnes futuri erant: secundum quam originem omnes in illo uno erant, et hi omnes unus ille erant, qui in seipsis nulli adhuc erant.* Quod iterum et Levi exemplo obfirmat Sanctus Doctor, qui (*Hebr. VII. Cap. IX.*) decimatus a Melchisedecho in lumbis Abrahae perhibetur, in quibus erat, non secundum substantiam suam, aut voluntatem, sed secundum originem seminalem dumtaxat.

Ergo ex Augustino caussa, et quidem proxima transfusionis originariae noxae in posteros, generantium est concupiscentia, ac libido, qua corpus seminatur. Hinc ubi con-

cupiscentiam ex primo Adami peccato ortam edixisset *Serm. CLI. de Tempore*, e vestigio subdit : *Ecce unde trahitur originale peccatum* ; *Ecce unde nemo nascitur sine peccato.* Quod alte quantum Sancti Doctoris menti insederit, hi norunt abunde, qui Augustianeas concertationes adversus Iulianum sedulo attenderint.

Sed ubi Augustinus versatur, ibi et Thomam habes ; frequenter adeo conspirant ambo ! Ecce tibi subactissimi Doctoris expressissma verba *I. 2. Quaest. LXXXI. art. 4.* » Peccatum originale a primo parente tra» ducitur in posteros, in quantum moventur » ab ipso per generationem sicut membra » moventur ab anima ad peccatum actuale. » Non autem est motio ad generationem, » nisi per virtutem activam in generatione. » Unde illi soli peccatum originale contra» hunt, qui ab Adam descendunt per vir» tutem activam in generatione originaliter « ab Adam derivatam, quod est secundum » seminalem rationem ab eo descendere ; nam » ratio seminalis nihil aliud est, quam vis acti» va in generatione. Si autem aliquis formaretur » virtute Divina ex carne humana, manife» stum est, quod vis activa non derivaretur » ab Adam ; unde non contraheret peccatum

» originale ; sicut nec actus manus pertineret
» ad peccatum humanum, si manus non mo-
» veretur a voluntate hominis, sed ab aliquo
» extrinseco ».

Nec vero nos id movet, quod anima tantum sit peccati subiectum, semen autem corporeum quum sit, animam non attingat, quae non generatione producitur, sed a Deo immediate creatur. Nam tametsi anima non traducatur ex carne, nihilominus vi generationis natura producitur humana, vereque dicitur homo generare hominem, quod nimirum virtute seminis eas dispositiones in materiam inducit, quas necessario anima consequitur. Porro natura humana, quae sic producitur, infecta est in Adamo, communicaturque cum peccato. Vnde Augustinus Lib. V. contr. Iulian. Cap. IV. *Alterum in altero tamquam in vase vitiato corrumpitur, ubi occulta iustitia divinae legis includitur.*

Igitur anima licet spiritualis sit, licet a Deo immediate creata, et quidem sine ulla labe, eo tamen ipso momento quo corpori iam formato ex semine Adamitico corupto coniungitur, vitiatur. Tunc enim pars hominis efficitur, qui in Adamo peccavit. Haec Augustini sententia est saepius usurpantis exemplum liquoris, qui contrahit foetorem vasis

foetidi cui infunditur. Haec ipsa sententia est Innocentii III. in *Ps. L. Ex seminibus foedatis ; et corruptis concipitur corpus corruptum pariter , et foedatum , cui anima tandem infusa corrumpitur , et foedatur , non ab integritate , vel munditia , quam habuit ; sed ab ea quam haberet , si non uniretur foedato corpori , et corrupto.* Haec demum est et Thomae Aquinatis pura puta sententia in hunc modum (*II. dist.* 3o. *quaest. I. art.* 2. *ad* 3.) disputantis : *Anima quae tali corpori* (foedato scilicet , et corrupto) *infunditur deordinationem culpae contrahit ex hoc ipso , quod huiusmodi corporis forma efficitur ; cum oporteat , perfectionem perfectibili proportionatam esse.* Et mox : *Anima non inficitur per infectionem corporis , quasi corpore agente in animam , sed per quamdam collimitationem unius ad alterum ; quia forma recipitur in materia , secundum conditionem ipsius materiae , cum omne quod est in altero , sit in eo per modum recipientis.*

Atque hinc in patefacto est cur Christus Dominus non peccaverit in Adamo , nec peccatum ab illo in sua traxerit conceptione ; tametsi enim aliquo fuerit modo in primo homine , quod ex eo per Beatam Virginem Mariam descenderet , in eo tamen non fuit se-

cundum rationem seminalem; virili quippe natus semine non erat. Audiamus in hunc sensum disputantem Augustinum *Lib. V. adv. Iulian. Cap. XV.* » Hinc apparet, illam » concupiscentiam, per quam Christus con- » cipi noluit, fecisse in genere humano pro- » paginem mali; quia Mariae corpus quam- » vis inde venerit, tamen eam non traiecit » in corpus, quod non inde concepit . . . » Caro itaque Christi mortalitatem de mor- » talitate materni corporis traxit, quia mor- » tale corpus eius invenit; contagium vero » peccati originalis non traxit, quia concu- » bentis concupiscentiam non invenit ». Adhuc et insignem prae manibus habeo Sancti Anselmi locum (ex *Libro de Conceptu Virginis Cap. XXIII.*) *In illa, Beata Virgine, nec voluntas creaturae prolem seminavit, nec natura germinavit, sed Spiritus Sanctus, et Virtus Altissimi de Virgine muliere virum mirabiliter procreavit. Valde itaque diverso modo Christus erat in Adam, quando peccavit, quam erant alii, qui voluntario, et naturali cursu procreantur. Istos quodammodo facit Adam, quos per acceptam potestatem humana voluntas seminando, et natura germinando procreavit. Istum vero nonnisi Deus fecit, quamvis de Adam; quia*

non per Adam, sed per se velut de suo. Id vero tum fusius alibi, tum uno et altero verbo expressius docet Thomas (*Quaest.* 81. *art.* 7.) *Ex hoc quod Christus fuit conceptus ex Virgine sine virili semine, habuit quod non contraheret peccatum originale.*

Atque haec habui quae dicerem de implicatissima quaestione hac, quae firmitatis multum, multumque roboris ex robusta quadam Augustini constantia hauriunt. Ceterum antequam manum de tabula, praestat et id monere, quod Sanctus Episcopus scripsit in Epist. CLVII. ad Hieronymum : » Quum qui-
« dam ruisset in puteum . . . accessit alius,
» et eo viso, admirans ait : quomodo huc
» cecidisti ? At ille : obsecro inquit, cogita
» quomodo hinc me liberes, non quomodo
« huc ceciderim quaeras. Ita quoque fatemur,
« et fide Catholica tenemus, de reatu pec-
« cati, tamquam de puteo, etiam parvuli
» infantis animam Christi gratia liberandam;
» satis est ei quod modo, quomodo salva
» fiat, novimus ; etiamsi numquam quomo-
» do in malum illud devenerit, noverimus».

CAPUT III.

QUI HOMINES SANARET LIBERATOR PROMITTITUR. IN HUIUS FIDE SALVI FACTI SUNT VETERES IUSTI.

I. At o miserum hominem, si Deus iustus tantum, non autem misericors esset! Vt enim nos diabolica malignitas veneno suae mortificavit invidiae, praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praesignavit Deus, iam tunc ex illo prolapsionis momento denuncians, Liberatorem venturum Filium suum in carne, qui genus omne humanum, in Adam tamquam in radice vitiatum sanaret, sempiternaeque illud mortis damnationisque poena obstrictum, de diaboli iugo, tenebrarumque potestate eriperet.

II. Hinc ubi peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, eccillam in homicidam diabolum Dei vocem exsertam (*Gen. III.* 15.) *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo illius.* Quo divino effato

spem futurae per Christum Redemptionis, cuius fides ad salutem consequendam necessaria est, Deus ab initio mundi praemonstravit; Cuius et fides vivacissima perpetùo apud Adae filios, nepotes, progeniemque eorum servata est, atque ad seram posteritatem transmissa.

III. Verum ut invidia diaboli peccatum primo intravit in mundum, ita eiusdem dolis mox adeo scelera exundarunt in terris, ut perdere constituerit Deus hominem quem creavit. Deleta hinc fuit universali diluvio iniquitas terrae, et vera Dei religio in una Noe mansit familia, quae a communi generis humani exterminio servata est. Noe vero vir iustus fuit, eiusque in futurum Liberatorem fides commendatur ab Apostolo (ad *Heb. XI. 7.*) *Fide Noe responso accepto de iis quae adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suae, per quam damnavit mundum, et iustitiae, quae per fidem est, heres est institutus.* Porro haec fidei hereditas per Sem et Iaphet (Cam paterna maledictione obstricto) ad posteros est. derivata.

IV. Quum vero et in ipsa Sem, et Iaphet progenie fides sensim imminueretur, atque demum abs via iustitiae aberrantes homines, gloriam incorruptibilis Dei commutassent in

similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, quadrupedum, et serpentium, suscitavit Deus fidelem Abraham Patrem omnium credentium, cui promissiones venturi Liberatoris expressius renovavit. Duplex autem Abrahae a Deo facta est pollicitatio; altera terrae Chanaan eius posteritati donandae (*Gen. III.* 15.), altera longe praestantior de venturo Messia, ac Liberatore Christo ex sua stirpe nascituro. Quam quidem promissionem non vice simplici datam, ut immobilitatem consilii sui ostenderet Deus, iuramento tandem firmavit, quum Abrahae obedientiam vidisset in immolatione Isaac filii sui unigeniti (*Gen. XXII.* 16.) *Per memetipsum iuravi . . . benedicam tibi . . . et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.* Quam pollicitationem iam in plenitudine temporis adimpletam respexit Christus Dominus de Abraham inquiens (*Ioan. VIII.*) *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum; vidit et gavisus est*; ex quo abunde cuivis patebit, Abraham fide incarnationem Christi credidisse.

V. Quemadmodum vero in Abrahamo gratuitam suae voluntatis praedestinationem misericordissime ostenderat Deus; quippe gra-

tuito is unus ex omni populo vocatus, in quo benedicerentur gentes omnes; ita quum Abraham duos habuisset filios, gratuito Ismaeli praelatus est Isaac, ut esset heres paternae benedictionis, unde huic dictum a Deo (*Gen. XXVI.*) *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* Iterum Isaac quum geminos habuisset filios Esau, et Iacob, gratuito Iacob natu minor dilectus est, quocum foedus sancivit Deus, quando in somnis scalam stantem super terram vidit, cuius cacumen coelos tangebat, Angelos vero Dei per eam adscendentes, et descendentes, audivitque Dominum scalae innixum sibi dicentem (*Gen. XXVIII.*) *Ego Dominus Deus Abraham Patris tui, et Deus Isaac . . , benedicentur in te, et in semine tuo cunctae tribus terrae.* Demum Iacob quum duodecim suscepisset filios; tametsi singulis hereditatem terrae Chanaan partitus esset, gratuito tamen Iudae inter omnes fratres id concessum, ut ex eo Messias ortum traheret. (Gen. XLIX. 8.) *Iuda, te laudabunt fratres tui . . . adorabunt te filii Patris tui : non auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio Gentium.*

VI. Quod autem Abrahae spoponderat Deus,

se suis posteris terrae Chanaan possessionem, daturum, complere constituit. Quamobrem Hebraicum populum ex Aegypti captivitate, qua per annos fere ducentos detinebatur (59), quemadmodum praedixerat (*Gen. XV.* 14.) mirabili modo liberat; iter illi praeterea per medium rubri maris aperiendo, ut divisis aquis, cedentibusque in latera, veluti per continentem ambularent. Mox et legem suo scriptam digito, in monte Sinai inter fulgura, et tonitrua promulgatam Mosi tradit

(59) Jacob descendit in Aegyptum anno mundi MMCCXCVIII. Exodus contigit anno mundi MMDXIII. ergo captivitas Hebraeorum in Aegypto fuit annorum CCXIII. At quorsum haec inquies? vel ideo, ut quomodo computus iste conciliandus sit cum Scripturae loco *Exod. XII.* 40. *Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Aegypto, fuit quadrigentorum triginta annorum*, quisque videat. Belle omnia constant, si Hebraeam lectionem ita vertes: *Peregrinatio autem filiorum Istrael*, *qui* (non *qua*) *manserunt in Aegypto; fuit CCCCXXX. annorum* Quam lectionem firmant cum Septuagintaviralis versio, tum Codex Samaritanus, qui hos CCCCXXX. annos a peregrinatione Abrahae numerandos exprimunt; quemadmodum et sentiunt Patres fere omnes, et accepit textum Apostolus *ad Galat. III.* 16.

(*Exod. XXIV.*) cuius scopus in fide ac spe venturi Messiae versatur. Inquit enim Apostolus *ad Rom. X. 4. Finis legis Christus*; Et ad *Gal. III. 25. Prius quam veniret fides, sub lege custodiebantur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat.* Hinc sacrificia, expiationes, ac Sacramenta legis nonnisi Christum Redemptorem praefigurabant, ut enim ait Paullus (*I. ad Cor. X. 11.*) *Omnia in figuris contingebant illis.* Quod et ipse palam fecit Liberator Christus Dominus noster in Evangelio, inquiens (*Luc. cap. ult.*) *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Et *Ioan. V. 46. Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit.*

VII. Atque demum constituta Iudaeorum, qui ex genere Abrahami erant, Republica, tantis de venturo Liberatore promissionibus tanta successit vaticiniorum seges, ut si futuri, et praeteriti temporis tollatur diversitas, nihil iam inter Prophetarum vaticinia, et Apostolorum Praedicationem; nihil inter veterum Patriarcharum fidem, et nostram interesse videamus. Et tempus enim, quo Divinus Liberator venturus erat, praenunciatum est *Gen. XLIX. 10.* quum nimirum sceptrum a Iuda

defecisset. Praenunciata est Christi ex Virgine conceptio *Isaiae VII.* 14. *Ierem. XXXI.* 22. *Ezech. XLIV.* 2. Praenunciatus est et locus in quo nasceretur, nimirum Bethelem (*Mich. V.* 2. (Praenunciata Innocentium strages, Christi in Aegyptum fuga, praedicatio, miracula, passio, et ea omnia minutatim, quibus Christus redemptionis nostrae opus consummavit, de quibus loco suo fusissime agemus.

VIII. Interea inter tot clarissimas Dei pollicitationes, Prophetarumque vaticinia ab ipso mundi primordio, sive ab Adami lapsu, in quo genus omne peccavit humanum, ad plenitudinem usque temporis, quo Salvator advenit per saecula benedictus, typi multi, ac mysteria per omnem aetatem emicuerunt, quibus futurus Liberator Christus praesignabatur. Huc ferebatur Noe a diluvio servatus, redemptionis Christi; cuius pretio electi salutem consequuntur, illustris typus (60). Huc Abra-

(60) Quid quod Arca etiam figura Ecclesiae, et Baptismi erat haud obscura; nam sicuti extra arcam omnes perierunt, ita extra Ecclesiam omnes peribunt; et sicuti peccatores omnes aquis diluvii submerguntur, ita peccata omnia aquis Baptismi diluuntur. Conferas in hunc sensum Originem *Hom. XI. in Genes.* S. Ambrosium *de Noe*,

ham tendebat Pater omnium credentium (61).
Huc Isaac suis humeris ligna ad sacrificium baiulaturus, Christum designans crucem suis item humeris gestaturum ad mortis locum (62).

---

et arca Cap. V. S. Augustinum *Tract. VI. in Evang. Joan. Cap. I.* Et *de Civit. Dei Lib. XV. Cap. XXVI.* Et *contra Faustum Lib. XII. Cap. XIV.* S. Gregorium Magn. *Lib. II. Homil. XVI. in Ezechielem.*

(61) Foedus praeterea, Deum inter et Abraham initum, typus foederis fuit longe illustrioris Christum inter et Christianos, olim, et in aeternum ineundi. Terra etiam Chanaan Abrahae, et semini eius promissa, typus aeternae in coelo beatitudinis erat, Christianis omnibus promissae, (quorum Abraham Pater fuit; ipse enim pater omnium credentium. Videsis quae supra occupavimus in nostro Apparatu Theolog. *Diss.* 1. *Cap.* II. de duplici populo Dei foederato, Hebraeo, Christianoque *pag.* 7.

EXCVRSVS.

De Isaaco Christi typo omnium insignissimo.

(62) Temperare at nunc me nequeo, quin heic consistam aliquantulum, et quam multa in uno Isaaco lateant, quae Christum, interprete nullo,

Huc spectabat Ioseph vel a fratribus venditus, vel tunica exutus, vel in lacum missus, vel

---

nominatim veluti demonstrant, paullo accuratius aperiam. I. Vterque nascitur per miraculum, Isaacus ex matrice mortua, Christus ex Virginea. II. Ille Abrahamo, hic orbe ad senium vergente. III. Ille per annos quadraginta, hic per quadraginta saecula promissus. IV. Vtriusque conceptio nunciatur ab Angelo. V. Illius mater Sara inquit *quomodo hoc fiet, nam ego iam consenui?* huius mater Maria dixit: *quomodo hoc fiet, nam non novi virum?* VI. In plenitudine temporis, *Dominus ridere me fecit*, inquit Sara; *et quotquot audient mecum ridebunt*; Pariter Maria: *Anima mea exultavit in Domino servatore meo, et omnes gentes me beatam praedicabunt.* VII. Filius servae Aegyptiae (Iudaeorum figura, teste Apostolo *ad Galat. IV.*) deridet filium liberae, et ideo pellitur ex aedibus paternis, sic primus ille filius Israel, quia Isaaci nostri parvitatem habuit contemtui, noluitque osculari verum Filium, exclusus est, et pulsus e domo Patris. VIII. Vterque est filius unicus, nam ut Isaacus (Gen. XXII. 2.) ita et Christus dicitur unigenitus a Patre. IX. Filius ille dilectus et germanus (Gen. ibid.) ita et Christus (Matth. III.) *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* X. Vterque a Patre morti traditur; de Isaaco (Gen. XXII. 12.) *Non pepercisti proprio filio.* De Christo (ad Rom. VIII. 31.) *Deus proprio filio non pepercit.*

demum ad salutem Aegyptiorum, Israelitarumque in solio exaltatus, ut Christi insignis es-

---

XI. Pater uterque misericors; grave est Abrahamo etiam derisorem Ismaelem domo ejicere: quanto gravius mactare filium; Deus similiter non vult mortem peccatoris, quanto minus iusti et innocentis. XII. Vt ergo Deus Abrahamo dicit: *Nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me*, ita et concludit Apostolus ad Rom. V. et VIII. 32. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Et Iohannes, (I. Ioh. IV. 9.) *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum.* XIII. Vterque igitur a Patre morti traditur, quia in illo amor Dei, in hoc amor hominis morte potentior, et zelus sepulcro durior. XIV. Iam si mortis circumstantiae spectentur, in eadem terrae plaga fit utrumque sacrificium. Nam Isaacus offertur in Monte Morijah, atque in illo ipso tractu ubi Hierusalem, et templum aedificata leguntur; et vero in ipso monte Golgotha, si Hieronymo, et aliis ante ipsum credamus, oblatus est Isaacus. Certe ad nomen Morijah videtur alludere Salomon ubi agens de Christi morte, quo moriente umbrae legis dissipari debuerunt: *Antequam*, inquit, (Cantic. IV. 6.) *umbrae fugiant, conscendam montem Mor*, myrrhae. Mor typice, et poetice dictum pro Morijah. XV. Id Sacrificium soli Abrahamo notum, ignotum

set figura, quem Iudas vendidit, quem Iudaei tunica exutum crucifixerunt, qui et mor-

erat servis, qui ad montem usque eum erant comitati; sic et Mysterium mortis Christi *in Deo absconditum omnes homines latebat*. XVI. Vterque innocens. XVII. Isaacus lignum in montem Morijah, Christus crucem gerit. XVIII. Isaaco ominosum hoc verbum excidit, cum iam lignum, et cultrum, et funes, et ignem videret, quasi cohorrescenti ad spectaculum tam tristis ministerii; *Pater mi, ecce ignis, et ligna: sed ubi est victima?* Statim tamen acquiescit Patris responso, *Dominus providebit.* Ita et Christus, quum instaret hora mortis, et sudavit grumos sanguinis, et oravit, et dixit: *Pater mi, si fieri potest, transeat a me calix iste*; statim tamen hoc addit, *fiat voluntas tua*; ut sciamus eum itidem totum a Deo pendere voluisse. XIX. Vt ergo Isaac, qui ex senilibus manibus facile potuisset evadere, obtemperare maluit, et Patri ad mortem usque obedientem se praebere; Ita et Christus, qui nihil non poterat in coelo, et in terra, et ad auxilium multas Angelorum legiones facile advocasset, ultro se se obtulit (Phil. II. 8.) *et Patri fuit obediens usque ad mortem crucis.* XX. Isaac ligno imponitur (Gen. XXII. 9.) Christus cruci; Isaac pedibus manibusque ligatur, Christus pedibus manibusque cruci affigitur. XXI. Isaacus rogo imponitur, Christus ardorem irae paternae experitur. Sed idem Deus, qui servat Isaacum, cavet ne ullum ossium Chri-

te ac resurrectione sua futurus erat caussa salutis aeternae Iudaeis, et Gentibus (63). Huc

sto confringatur. XXII. Isaac toto triduo ambulat quasi in valle umbrae mortis (Gen. XXII. 14.) Christus per triduum manet in sepulchro. XXIII. Angelus mittitur, qui Isaacum liberet, Angelus mittitur qui Christum e sepulcro eximat, revoluto lapide monumenti. XXIV. Isaac εν παραβολη (ad Hebr. XI. 19.) similitudine resurrexit a mortuis, Christus huius similitudinis exemplar, vere resurrexit. XXV. Abrahami fides conciderat, nisi resurrexisset Isaac, eiusque spes in eo erat sita, quod *credidit Deum posse eum a mortuis suscitare*; sic inanis est nostra fides, si Christus non ressurrexit (ad Hebr. XI. 19.) XXVI. Post hanc qualemcumque Isaaci resurrectionem succedunt benedictiones; Abrahamo promittitur fore, ut in eo benedicantur omnes gentes; quod sane post Christi resurrectionem demum impletum est, inquit enim Apostolus (*ad Gal. III.* 14.) *Ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.*

Hem qui ante tot saecula nobilissimus Christi typus! Sed manum de tabula.

(63) Dignus qui audiatur S. Caesarius *Serm. VII. in append. S. Aug.* » Ioseph per consilium » Iudae triginta argenteis distrahitur, et Christus » per consilium Iudae Iscariotis eodem numero » venumdatur. Ioseph descendit in Aegyptum, et

Moses, quem Deus ducem ac liberatorem populi sui elegit. Huc liberatio populi Israelitici collimabat a longa et durissima Aegypti captivitate, in qua expressimam habes figuram liberationis universi generis humani a captivitate demonis (64). Huc Ionas incidebat in

» Christus in mundum. Ioseph a penuria frumenti » salvat Aegyptum; et Christus a fame verbi Dei » liberat mundum. Nisi enim Ioseph fratres sui » vendidissent, defecerat Aegyptus. Fratres, ve» rum est, nisi Christum Iudaei crucifixissent, pe» rierat mundus ».Vid. Tertullian. *advers. Iudaeos Cap. X. et adv. Marcion. Lib. III. cap. XVIII.* S. August. in *Ps. LXXX. n.* 8. Et inferius in *Ps. CIV. n.* 40. quem locum hic non praeteream ad solatium eorum qui persecutionem patiuntur in mundo: » si in servum venumdatus Ioseph, et » humiliatus, et exaltatus locum fecit ad tempo» ralia bona populo Dei, ut firmaretur super ini» micos eius: quanto magis Iesus venumdatus, et » humiliatus a fratribus suis secundum carnem, et » exaltatus in coelis, locum facit ad aeterna bona » populo Dei, triumphanti de diabolo, et ange» lis suis? Si tentationes durae sunt in hoc sae» culo, Ioseph in carcere, Iesum in cruce cogi» tate ».

(64) Omnino praeclare hunc locum tractat Augustinus in *Ps. LXXII.* 5. » Liberatur populus ab » Aegyptiis per Moysen: liberatur populus a prae-

ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus latens, et quid cetera numerem, quibus veteres Scripturae abundant (65)? Sane ex his

---

» terita vita peccatorum per Dominum nostrum » Iesum Christum. Transit populus ille per mare » rubrum: iste per baptismum. Moriuntur in ma- » ri rubro omnes inimici populi illius: moriuntur » in baptismo omnia peccata nostra. Omnia prae- » terita peccata deleta sunt in baptismo ». Confer » et *Tract. XLV. in Ioan.* 9.

(65) Non praeteream hic primaevos Fideles ad contestandam perpetuo Christianae Religionis veritatem adversus Iudaeos, et Gentiles, nihil antiquius, sanctiusque habuisse, quam vel in Sepulcris, vel in tabellis, vel in gemmis huiusmodi sculpere Christi typos, et figuras, quas ante multa saecula in veteri Testamento praemonstraverat Deus. Vidi egomet innumera plane hoc genus cimelia, et gemmas, in quibus vel arca Noe, vel columba cum olea, vel Isaac ligna baiulans, vel cetus Ionas vomens. Gemmam annularem ex Onice Orientali elegantissimae scalpturae addam, quae apud me est, ac in fronte operis prostat, in qua anchoram surrectam videas, tamquam Christianae spei, itemque fidei symbolum, et Pisces hinc inde (qui Christi typus sunt, de quo plura in peculiari *Illustratione* dedimus) cum voce ΙΧΘΥC, quae latine *piscis* sonat, quaeque tamen si dissolvatur,

intelliget quispiam, merito quantum adversus Iudaeos scripserit Tertullianus: *Filii Dei in-*

---

sic ut littera quaevis initialis evadat, Christi nomen habes, et attributa in hunc modum:

Ι ησους	*IESUS*
Χ ριστος	*CHRISTUS*
Θ εου	*DEI*
Υ ιος	*FILIUS*
C ωτηρ	*SALVATOR*

Numquam autem esset finis, si et indicare tantum vellem et marmora, et lamellas plumbeas, vitros, vel figulinas cum huiusmodi typis, quorum tibi praesto est seges uberrima apud Arringhium, Bosium, et Bottarium in *Roma Subterranea*; apud Ciampinium *de veter. Monument.* Ficoronium *de plumbis antiquis*; Lupium *in Epitaph. S. Severae*; Boldettum in *Observat. Coemeter.* Gorium *in diptych.* Maranconium in *Adpendic. ad Acta S. Vict.* Bergerum in *Lucernis antiq.* Victorium in *dissert. de septem dormientibus*, ac demum ut reliquos missos faciam, Museum Kircherianum.

Quod autem singulare est, non in monumentis tantum, et in cuius cuiusve generis cimeliis sculpere Christi typos primaevis Fidelibus cordi ac pretio erat, sed et ipsa Prophetarum vaticinia in inscriptionibus saepenumero usurpare. Huiusmodi est quae Neapoli in Ecclesia S. Ioannis et Paulli, extat: *Credo. quia. Redemptor. meus. vidit. et.in.*

carnatio, *et nativitas Paraturam desiderabat ut crederetur.* Hem quibus mediis fides in Christum Liberatorem venturum ostentata, servata, ac propagata fuerit.

IX. Profecto autem quanta fuerit Fidei in Christum Liberatorem Patribus veteris Testamenti necessitas, vel hinc cumulatissime patet, quod non aliunde iustificari poterant. *Itaque* (inquit Augustinus *Lib. de Pec. Orig. cap. XXIV.*) *sine fide incarna-*

---

nobissimo die. de. terra. suscitabit. me. et. in carne mea. bidebo. Deum. meum. Hic. requiescit in. pace. Euphimia. et. Ioh. Vir. eius. et caeteri Filii eorum; in qua integrum comma habes ex Iobi Libro Cap. XIX. vers. 25. et seq. Quemadmodum et altera item Neapoli legitur in Templo S. Augustini Maioris, quae haec est: *In. sommo pacis. Laurent. Gen. qui vixit. ann. LX. Dep. sub. die. XXIV. Mens. Martii. Ind. V. et. Iohanna. Coniux. eius quae vix. pl. M. An. LXXV. Dep. sub. Die .... M. .... Ind. .... Credimus quia Redemptor noster vivit et in nobissimo die de terra suscitabit nos et in carne nostra bidebimus Dominum Redemptor .... Amen.* Sed plura modo hanc in rem conferre supersedeo, quae, si mihi Deus, habebis in nostro Opere *Sacrae Antiquitatis Monumenta, quibus Theologica Dogmata illustrantur*, quod in forulis affectum habeo, cui postrema tantum deest manus.

tionis, *et mortis*, *et Resurrectionis Christi*, *nec antiquos Iustos*, *ut iusti essent*, *a peccatis potuisse mundari*, *et Dei gratia iustificari*, *Veritas Christiana non dubitat*: *sive in eis iustis*, *quos quidem illa non commemorat*, *sed tamen fuisse credendi sunt vel ante diluvium*, *vel inde usque ad legem datam*, *vel ipsius legis tempore*, *non solum in filiis Israel*, *sicut fuerunt Prophetae*, *sed etiam extra eumdem populum*, *sicut fuit Iob. Et ipsorum enim corda eadem mundabantur Mediatoris fide*, *et diffundebatur in eis caritas per Spiritum Sanctum*, *qui ubi vult spirat*, *non merita sequens*, *sed etiam ipsa merita faciens.*

X. Igitur veteres illi Iusti sub Lege non erant, sed sub gratia, eadem quippe fide et ipsi mundabantur, qua et nos; habentes eumdem spiritum fidei, ut Apostolus ait *II. ad Cor.* 4. Nam ex ipsa fide de Christo Liberatore dicebant (Ps. XVIII.) *Et ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo*, *exultavit ut gigas ad currendam viam*, *a summo coelo egressio eius*, *et occursus eius usque ad summum eius*, *nec est qui se abscondat a calore eius.* Ex fide ipsa item Christum Liberatorem adloquebantur (Ps. XLIV.) *Thronus tuus*, *Deus*, *in saeculum saeculi*,

virga directionis, *virga regni sui*: *dilexisti iustitiam*, *et odisti iniquitatem*, *propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Demum ex ipsa dicebant fide (Is. VII.) *Ecce Virgo concipiet*, *et pariet filium*, *et vocabitur nomen eius Emmanuel*; *idest nobiscum Deus*. Sane eodem Spiritu fidei haec ab illis futura videbantur, quo a nobis facta creduntur.

XI. Huc facit Petri testimonium (Act.XV.) *Quid tentatis Deum*, *imponere iugum super cervices discipulorum*, *quod neque Patres nostri*, *neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari*, *quemadmodum et illi*. Igitur et illi per gratiam Domini nostri Iesu Christi salvi facti sunt, non per legem Moysis, per quam non sanatio, sed cognitio facta est peccati.

XII. Praeterea inquit Apostolus (ad Rom. III.) *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata a lege, et Prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum.* » Si ergo (*inquit* Augustinus *de Pec. Orig.* » *cap. XXVI.*) nunc manifestata est, etiam » tunc erat, sed occulta. Cuius occultationem » significabat Templi velum, quod est, ad « eius significandam revelationem, Christo

» moriente conscissum. Et tunc ergo ista » gratia unius Mediatoris Dei, et hominum » hominis Christi Iesu, erat in populo Dei, « sed tamquam in vellere pluvia, quam non » debitam, sed voluntariam segregat Deus » hereditati suae, inerat latens; nunc autem » velut siccato illo vellere, h. e. Iudaico » populo reprobato, in omnibus gentibus » tamquam in area cernitur potens ».

XIII. Porro Augustinus idem, a quo non puto discedendum, Apostolicum dictum expendens: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*: » Illi » ergo, inquit, antiqui Iusti ideo in resur» rectionem vitae aeternae venturi sunt, quia » in Christo vivificabuntur: ideo in Christo » vivificabuntur, quia ad corpus pertinent » Christi: ideo pertinent ad corpus Christi, » quia et ipsis caput est Christus: ideo et » ipsis caput est Christus, quia unus Media» tor est Dei et hominum homo Christus Ie» sus. Mediator autem illis non fuisset, nisi » in eius resurrectionem per eius gratiam » credidissent. Et hoc quomodo fieret, si » eum in carne venturum esse nescissent, » neque ex hac fide pie iusteque vixissent? » Nam si propterea illis non profuit Incar» natio Christi, quia nondum facta erat: nec

» nobis prodest Iudicium Christi de vivis, et » mortuis, quia nondum factum est. Si au» tem nos per huius, nondum facti, sed fu» turi iudicii fidem stabimus ad dexteram » Christi; profecto illi per Incarnationis eius, » tunc nondum factae, sed futurae fidem, » membra sunt Christi ».

XIV. Sed haec de Iudaica gente. At quid? an praeclusa gentibus aliis via salutis. Apage! Alienigenam habemus Iobum, cui non defuit et unde fidem in venturum Liberatorem haurire, et unde spem elicere, atque inter tot calamitatum turbines constanter tenere. Idumaeus erat, non Iudaeus, et tamen ex traditione sola fidem accipiens, fide aestuans clamabat; *Scio quia Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius; reposita est haec spes mea in sinu meo* (66). Alienigenam et

---

(66) *Nec ipsos Iudaeos* (ad rem inquit Augustinus *Lib. XVIII. de Civ. Dei Cap. XLVII.*) *existimo audere contendere, neminem pertinuisse ad Deum, praeter Israelitas, ex quo propago Israel esse coepit, reprobato eius fratre maiore. Quia si*

habemus Melchisedechum, et quid Ninivitas memorem, ceterosque? Profecto autem (egregie argumentatur Augustinus *Epist. CII. ad Deograt.*) » quum nonnulli commemorantur
» in Sacris Hebraicis Libris iam usque ex
» tempore Abrahae, nec de stirpe carnis eius,
» nec ex populo Israel, nec ex adventitia
» societate in populo Israel, qui tamen huius
» Sacramenti participes fuerunt: cur non
» credamus, etiam in ceteris hac atque illac
» gentibus, alias alios fuisse, quamvis com-
» memoratos in iisdem auctoritatibus non le-
» gamus ».

XV. Sane tametsi Iudaico populo nihil commune quidquam cum Gentibus esset, quo tamen illius nomen non pervasit? vel quae natio erat, qua non celebraretur? Numquid

---

negant, facillime convincuntur de sancto, et mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proselytus, idest advena populi Israel fuit; sed ex gente Idumaea genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui Divino sic laudatur eloquio, ut quod ad iustitiam, pietatemque pertinet, nullus ei homo suorum temporum coaequetur. Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt eique placuerunt; pertinentes ad Spiritalem Ierusalem.

ignotum Gentibus Abrahami nomen, quem scimus Eusebio teste *Lib. IX. Praeparat. Evangel. Cap. XVII.* in tanta existimatione fuisse apud Berosum Hecataeum, Nicolaum Damascenum, Alexandrum Polyhistorem, Eupolemum, Artapanum, aliosque gentiles? Numquid Iosephi nomen in una Iudaea conclusum? at Aegyptii saltem, gens maxime omnium superstitiosissima ab isto Aegypti salvatore verum Deum vel noscere, vel discere poterant. Numquid Mosis novum gentibus nomen? Sed in medio gentium virtutem, potentiamque viventis Dei tot patratis prodigiis ostentavit.

At mihi liceat id hoc loco coniicere, Iudaeos ideo fortasse ante Christi adventum Divina providentia fuisse dispersos per Assyriam, Babyloniam, totamque adeo Asiam, ac deinde per Aegyptum, Graeciam, Italiam; ut ex Sacrarum Scripturarum, quas ipsi secum deferebant, lectione, gentes toto terrarum orbe effusae, notitiam Messiae haurirent, atque ita ad eum expectandum, postulandumque (67) disponerentur.

---

(67) Memini insignem Augustini locum hanc in rem legisse, sed nunc scribenti paene excidit ex mente.

XVI. Sed dubitamus adhuc veteris Testamenti Scripturas et Graecis, et Barbaris, et universae Genti compertissimas fuisse, ex quibus tot fabulas, et tot execrabilia mendacia confixere, tot errorum monstra, catervamque deorum tantam, quantam Graecia habuit, quantamque Roma adscivit? Tolle fabulis corticem, et in fabulis Scripturarum deteges veritatem. At haec pro re nata fusius persequutus sum tum alibi sparsim, tum vero in *Diatriba Parascevastica* de Mosaicae Cosmogoniae veritate, ubi antiquissimos quosque sapientes, et poetas de Scripturarum fonte bibisse pluribus evici.

XVII. At cedamus parumper. Sinamus, ceteras nationes quotquot et mundi genesim, et veteris Testamenti Patriarchas, et Legem Mosaicam, et Scripturas demum penitus ignorasse; quid interea? quid hinc extricabit quis? En altera ex altero capite via, qua ad Liberatorem implorandum arctabantur pagani. Tametsi enim Mosaica Lex angusto sane limite arctaretur, nec extra genus Abrahae se per orbem effunderet, erat tamen lex antiquior, et intimior, hominum mentibus naturaliter insita, atque ingenita, qua obligabantur, et cuius praevaricatione constringebantur omnes etiam extra genus Abrahae

peccatores terrae. Huius ergo legis, omne genus hominum complectentis non dispar ratio erat, atque Mosaicae. Perinde enim, etsi paullo tenuior quam illa, quid ius, fasve esset hominem edocebat, et prae cupiditatum impotentia deficientem, obiurgabat, humiliabat, Supernum Liberatorem invocare adigebat.

XVIII. Quantumcumque vero lex ista naturae improbitatis colluvione obscuraretur, non exoleverat tamen penitus, nec detrita adeo erat, ut non praevaricationis reatu constringerentur quicumque illius repagula transilirent. Quum autem Lex Mosaica legem illam universalem vel labentem instaurasset, vel nutantem firmasset, vel nova praeceptorum congerie substruxisset, per utramque Deus, non disparem universo humano generi viam parabat salutis, tametsi hic evidentius, illic obscurius; hic visibiliter, illic invisibiliter. Quum ergo haud dissimilis esset et virtus et scopus legis, seu naturaliter insitae omnibus ubique hominibus, seu specialiter Hebraeis indultae, ut ex eius praevaricatione genus humanum suae infirmitatis admoneretur, convinceretur, humiliaretur, ad Deum Medicum confugere compelleretur (68), quis adhuc que-

(68) Conferas hanc argumentationem apud

ri potest, praeclusam gentibus salutis viam fuisse?

XIX. Ceterum Paganis quaerentibus apud Augustinum *Epist. XLIX.* » Si Christus se » salutis viam dicit, gratiam, et veritatem » in seque solo ponit animis sibi credentibus » redditam, quid egerunt tot saeculorum ho» mines ante Christum? Quid actum de tam » innumeris animis, qui omnino in culpa » nulla sunt, siquidem is cui credi posset, » nondum adventum suum hominibus com» modarat? » Egregie respondit Augustinus: *Ab exordio generis humani quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum eius praecepta pie et iuste vixerunt, quandolibet et ubilibet fuerint, per eum proculdubio salvi facti sunt.* Hinc quum omni tempore tam in gente Iudaica, quam in aliis nationibus semper fuisse aliquos, qui in Christum venturum credebant ostendisset, concludit: *Ita salus Religionis huius, per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli umquam defuit, qui dignus fuit, et cui defuit di-*

Augustinum *in Psalm. CXXIII.* ita egregie interpretantem Psalmi verba: *Praevaricantes aestimavi omnes peccatores terrae.*

gnus non fuit. Nisi quod illud: *dignus fuit*, ex una Dei gratia repetendum alibi monuit (*Lib. II. Retract. Cap. XXXI.*). Et merito quidem; ex quo enim commisit Adam illud grande peccatum, et omne genus humanum in commune damnavit, ab hac communi damnatione nemo prorsus liberari, iustitiamque, et salutem consequi umquam potuit aut poterit, nisi per Salvatorem nostrum Iesum Christum, cuius gratia omnes liberantur, quicumque liberantur. Ideoque Fidei Christianae fundamentum est, VNVS, et VNVS; unus homo per quem ruina, unus homo, per quem structura.

Sed esto finis huic disputationi, qua librum afflictionis nostrae claudimus, ut alter in proximo aperiatur de Incarnatione Domini nostri IESU CHRISTI, cuius benignitate salvati, et liberati sumus. Cui Honor, Gloria, et Gratiarum Actio cum Patre, et Spiritu Sancto in saecula aeterna. Amen.

FINIS.

SCHEDIASMA

DE INTEMERATO VIRGINIS CONCEPTU.

Ingratus in DEI MATREM merito viderer, si charitatis erga me suae singularibus nullo non tempore devinctus officiis, innumerisque ipsa tenente ereptus casibus; iisque postremo gravissimis, nunc ubi resumpto calamo quaestio de originali peccato agitur, nihil de illa dicerem, perinde ac si cum universo genere humano ipsam quoque involutam, implicatamque crederem. Sed apage! Oblivioni detur dextera mea, nisi tuum sanctum, atque immaculatum conceptum vindicavero, SANCTISSIMA MATER; nisi Tibi tuaeque dignitati, atque amplissimis tuis in me beneficiis saltem hoc quidquid est exiguae scriptionis rependam. Vtinam potiora possem! sed Tu quantulacumque haec, quae pro viribus exsolvo, accipito lubens; et quandoquidem quidquid ab aeterno illo, au-

gustoque bonorum Fonte in terras delabitur, per Te continuo, quam maiestatis potestatisque suae sociam adscivit, effluere credimus, adesto mihi praesens, tuoque potentissimo apud Iesum Christum favere dignator patrocinio.

CAPUT I.

Virginem Deiparam singulari Divinae gratiae privilegio a peccato originis fuisse praeservatam, ex Sacris Scripturis tentatur.

I. Non id contendo heic ego, Sacris Litteris expresse apertissimeque doceri, Virginem Dei Matrem ab originali peccato fuisse immunem. Actum enim esset negotium omne, nec ulla me modo tangeret cura. Sed illud tantum, quantum valeo, demonstrandum suscipio, satis superque insinuare Scripturas, Virginem beatissimam a quavis peccati macula, sive actualis, sive originalis praeservatam.

II. Atque is primus ex veteri Testamento occurrit locus (Cantic. IV. 7.) in quo

de Virgine Deipara dicitur : *Tota pulchra es amica mea , et macula non est in te.* Hebraice vero : *macula non in te* , qua sane primigenii textus loquutione omne excluditur tempus , quo in Virginis anima labes cuius cuiuscumque generis excogitari potuerit.

III. Sed expendamus pusillulum an ista Canticorum verba ad litterae sensum in Deiparam quadrent. Sane quae in Canticis Canticorum de sponsa sub Sunamitidis nomine a Spiritu Sancto per Salomonem illius libri auctorem sunt dictata , nemo umquam addubitabit , quin iuxta litterae sensum accepta , ad corpus Ecclesiae Christi sint adprime referenda ; nimirum ita vetus, ac constans Sanctorum Patrum fert sententia , cui nemo nisi impudentissimus adversabitur. Quum vero in corpore isto Ecclesiae , principem tenere locum Deiparam in confesso apud omnes sit , quis non videt id heinc consequi , ut quae ibidem de Christi Ecclesia enunciantur , summo potissimoque iure ad Mariam pertineant ? Hanc porro Theologico a nobis rectissime deductam ratiocinio consecutionem vel ipsos Ecclesiae Patres ac Doctores ante nos tenuisse , nemo unus ignorat.

IV. Re enim vera Angelicus Doctor Thomas, cuius minime est hac in re suspecta auctoritas, eodem usus est testimonio, ut evinceret Mariam nullum umquam admisisse actuale peccatum. *Quo loco* (inquit Part. III. Quaest. 27. art. 4.) *fatendum est quod Beata Maria Virgo nullum peccatum actuale commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea compleatur quod dicitur in Canticis: tota pulchra es Maria, et macula non est in te.* Neque vero accomodatitio tantum sensu ea Scripturarum verba usurpasse Thomam suspicetur quispiam. Si ita enim esset, quid aliud fecisset ille, quam rem certissimam incerto ac nutanti fundamento superextruere?

Quum igitur, vel ipso vindice Thoma, extra omnem dubitationis aleam sit, in Mariam locum illum Canticorum concurrere, ecquis sanus non hinc probe deducet, Virginem sanctam ab originali macula, vel in primo ipso suae conceptionis instanti praeservatam? *Si enim ad pulchritudinem istam complendam* (liceat mihi rem hanc acerrimi ingenii Theologi Ambrosii Catharini verbis exprimere) *unius peccati venialis maculam a Virgine removere opus est: quis asserat teterrimam illam origina-*

lis peccati labem cum tanta pulchritudine componi et copulari potuisse, ut nihilominus tota pulchra, et sine macula praedicari debeat?

V. Praeterea ne hoc uno veteris Testamenti loco caussam omnem confecisse videar, addam et lubenter alterum ex novis Tabulis desumptum. Lucas in Evangelio legationem enarrans, ab Archangelo Gabriele imperio Dei susceptam, ipsumque am legati adventum, arcana Divinitatis onsilia Virgini Mariae patefacturi, haec hibet initio: (Luc. I. v. 28.) *Ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena.* Quae sane verba verissime ad intemeratam Virginis conceptionem referri etiam ad litterae sensum, ego nunc contendo. Quod ut planum apertumque fiat, graeci textus est lectio exploranda. Graece igitur ita scriptum: χαιρε καιχαριτωμενη. Est autem το καιχαριτωμενη praeteriti temporis participium verbum (quemadmodum graeci sermonis canones ferunt) quod *ex gratia* et *in gratia formatam* significat. Quam profecto καιχαριτωμενης notionem ac vim adprime Graecus homo vidit ante nos Amphilochius Episcopus Iconiensis, testatusque hinc plano prorsus consectario San-

ctissimam Virginem χωρις αμαρτιας τετυγμενην *sine peccato* scilicet *fabricatam*. Vidit et id Amphilochio prior Origenes, graeci et ipse sermonis callentissimus. Inquit enim *Hom. IV.* in Lucae Evangelium: *Quod Graece dicitur* κεχαριτωμενη, *ubi in Scripturis alibi legerim, non inveni: soli Virgini Mariae haec salutatio servabatur.*

VI. Age vero, eccur Maria amplissima illa salutione κεχαριτωμενη, scilicet *in gratia, et ex gratia formata* praedicatur ab Angelo, nisi ut expers omnis peccati vel sub ipso primo suae conceptionis instanti innuatur? Nec vero quemquam latinus Lucae interpres moveat, qui το κεχαριτωμενη reddit *gratia plena*, ut de vi propositi argumenti detractum aliquid putes. Etenim ut hoc in primis moneam, latinum interpretem ut in omnibus tenendum ipse fateor, sic ubi obscurior occurrat sententia, ad Hebraicum vel Graecum primigenios fontes provocare nos posse haud dubito. Atque si quis alius, hic sane locus est, quo id exequi fas est, ut cui cuique dilucidissime pateat, verbis illis *Gratia Plena* non divinae gratiae plenitudinem tantum, sed extensionem etiam ad omne vitae mo-

mentum, latinum Lucae interpetrem designasse.

VII. Quod si cum graeci sermonis imperitis agendum esset, utique et pro eo decertarem, versionem *Gratia Plena*, ut uti in vulgata iacet, cum gratiae plenitudinem, tum extensionem quoque in omne vitae instans significare. Hanc enim verbis illis notionem tribuere patitur, ac tacite quodammodo suadet Ecclesia Christiana veritatis magistra. Namque si ex angelica huiusmodi salutione plane ipsa deduxerit, Deiparam quavis levissima actualis peccati labecula caruisse, nedum sub ipso coelestis legati adventu, sed quovis vitae anteactae momento, atque omni denique tempore consecuturo, cur vetitum nobis ita illa accipere verba, ut gratiae, qua plena dicitur Maria, amplitudinem ad primum quoque instans, quo concepta est in utero matris suae referamus? Quin licere id nobis maxime existimo, nedum vel minime ipsa repugnante Ecclesia, sed imo probante, ut infra fusius. Sed plane iam ex mente exciderat insignis Fulgentii locus qui rem acu tangit. Sic enim Serm. de laud. Mariae: *Quum dixit gratia plena*,

ostendit ex integro iram exclusam primae sententiae.

VIII. Alterum ex Scripturis superaddam locum, qui tametsi (ut ingenue fatear quod res est) eiusdem non sit ponderis, habet nihilominus vim eiusmodi, ut non leve hinc desumi possit momentum. Sane enim quum Virgo, ab eo statim tempore, quo Spiritus Sancti virtute Verbum divinum intra sua viscera carnem factum sensit, Elisabetham cognatam suam, concepto pridem Ioannis praecursoris foetu onustam, convenisset, repleta haec Spiritu Dei his amplissimis omniumque saeculorum commendatione dignissimis verbis hospitem suam excepit (Lucae I. v. 42.): *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me.* Quibus quum sibi a cognata plaudi pro animi sui demissione minime sustinuerit Virgo, continuo ad Deum, quem in utero gestabat conversa: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum . . . . quia respexit humilitatem ancillae suae.* Nimirum hic ille locus est, ex quo postremum mihi animus est exculpere argumentum.

IX. Ac primo quid *humilitatis* voce heic

veniat, ex primigenio textu necesse est aperiam. Graecus autem textus pro eo quod latinus interpres reddidit *humilitatem*, habet ταπεινωσιν; cuius vocabuli notionem apud probatissimos quosque graecos auctores, imo apud Graecum ipsum Lucam, quotiescumque id in Evangelio usurpat, non illam sane invenies, quae animi de se demisse sentientis affectionem exprimit, sed abiectam potius personae conditionem, statumque vilissimum (*a*), quod ego innumeris graecorum exemplis ostenderem, si orationem vel aliquantisper divertere hic mihi liceret. Quum igitur ea sit vocis της ταπεινωσεως vis ac notio, nemo sane non intelligit, Virginem Deiparam non aliud verbis illis: *quia respexit humilitatem ancillae suae*, voluisse, quam suae conditionis omnium despectissimae indignitatem (quam veteres latinitatis auctores humilitatem dixerunt) cognatae plausibus obiectare, ut probe hinc intelligeret, nihil se nisi abiectum, ac vi-

---

(a) Haud abs re duco inferne heic saltem adnotare, humilitatis virtutem in Scripturis non ταπεινωσιν quo usus est verbo Lucas, sed ταπεινοφροσυνην vocari uti observare est *Actor.* *X.* 19. *Ephes.* 4. 2. *Philip. II.* 3. *Coloss. III.* *I. Petr. V.* 5. et alibi passim.

le habere: decora autem quibus ornabatur, non esse naturae suae dotes, non fundum suum, sed communicata liberaliter a Supremo Numine omnia (*b*).

X. Iam si praeter communem naturae suae cum creatis rebus, quae ex nihilo sunt eductae humilitatem, eam quoque in se Virgo sensisset, quae totum genus hominum a prima usque suae creationis origine foedavit, quid illam silentio compressisset? ac non potius eo erga largitorem suum usa esset veriloquio: quia respexit iniquitatem ancillae suae, seu magis suae inimicae? Hoc enimvero longe ingentem in

---

(b) Quidquid veteres recentesque interpretes de hoc textu senserint, profecto unus maxime omnium veluti acu rem tetigisse mihi videtur Ioannes Maldonatus in Lucae I. 48. *Non id agebat humillima, et Sanctissima Virgo, ut doceret suis meritis tantum se beneficium consequutam, ut mater esset Dei; sed potius ut se indignam omnino fuisse tanto beneficio declararet: noluit ergo dicere suam a Deo virtutem, sed potius suam humilem abiectamque personam, et conditionem, et ut uno verbo dicam, suam indignitatem respectam fuisse, quod quamvis indigna prorsus esset, Deus se tanto honore dignatus fuisset.*

cognatae animo excitasset admirationem, siquidem hinc illa intellexisset; se non tantum nihil de divini numinis donis meritam, sed male quantum ob originis foeditatem demeritam tot tamque singularia accepisse ultro coelestis gratiae beneficia. Non fecit id tamen veritatis aeque ac Christianae humilitatis studiossima Virgo.

XI. Quid? quod habebat et ante oculos exemplum illius propositum, cuius psalmos mente continuo versebatur, Davidis nimirum, qui divinam sibi conciliaturus misericordiam, tum abiectissimam sui apud Deum prodit conditionem, tum in bono perficiendo infirmitatem, ex peccato utique quod hereditario veluti iure ab Adamo per parentes contraxerat, emanatam: *Ecce enim* inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Quum autem nihil eiusmodi primigeniae foeditatis tunc meminit Virgo, certe in seipsa tale id non vidit, tametsi animi sui intime gnara. Quo magis adeo mirari subit, immo potius execrari temeritatemne dicam, an confidentiam eorum, qui quam Virgo in se non vidit maculam, hanc ipsi videre adhuc contendunt.

CAPVT II.

Scripturarum loca difficiliora, quae contra facere videntur, explicantur.

I. Atque nunc vero id necessum est, ut quae in sui patrocinium ex Sacris Scripturis advocant adversarii, accuratissime expendamus. Primum autem Scripturae, omnes homines, qui ex Adamo originem trahunt per carnalem generationem, peccato originali obnoxios ita enunciant, ut neminem prorsus excipiant, nisi eum, qui ut peccatum damnaret, sine peccato voluit in similitudinem carnis peccati adparere. Hinc Apostolus (ad Rom. III. v. 23.) *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* Et ibidem (v. 12.) *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Prae omnibus vero maiori fragore eiusdem Apostoli auctoritatem intentant (II. ad Corinth. v. 14.): *Si unus pro omnibus mortuus*

est, *ergo omnes mortui sunt*. Quum enim conditionalis sit Apostoli propositio, profecto quemadmodum in antecedente adeo universim patet, ut exceptionem omnino nullam recipiat; ita eamdem prorsus universalitatem in consequenti teneat oportet, nisi ineptum, (per summam impietatem) dicere quis velit Apostolicum sermonem.

II. Sed garrulorum tricae, an ludibria potius haec sint, plane nescio. Nam generales illas enunciationes communi et humano more saepius in Scripturis usurpari, quis in sacra eruditione vel plane hospes ignorat? non enim ad totum referenda vox illa *omnis*, sed ad partem maximam, ut quum expresse Propheta (Ps. XIII.): *Omnes declinaverunt*. Et alibi (III. Reg. VIII. 47.) *Non est homo qui non peccet*. Et in Evangelio (Joan. X. 8.) *Omnes quotquot venerunt ante me, fures sunt et latrones*. Cuiusmodi loca tum Hieronymus *Epist. CXLVI.* tum Augustinus *Tract. XLV. in Ioan.* ad illum sensum accomodant. Quod si enim generales istiusmodi Scripturarum locutiones ad originale peccatum in Virgine demonstrandum valerent, fortiori iure eamdem actuali peccato infectam facerent illae: *omnes declinaverunt*;

Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Quod si legibus hisce haud comprehendi Mariam ipsi protestantur adversarii; quis non videt, neque illa lege *in quo omnes peccaverunt*, constringi.

III. Porro autem ut dilucidius fiat, quod carptim delibavimus, legem illam de originali peccato ab Apostolo traditam, pari prorsus exceptioni subesse, quam impugnatores nostri legibus aliis de peccato actuali tribuere coguntur, iuvabit hic aliquantisper gradum figere, legemque accuratius interpretari. Sane Apostolus Paullus in ea Epistola (ad Romanos V.) quum multis gravibusque verbis inculcare instituisset doctrinam de transfusione originalis peccati, deque ingenti malorum colluvie, quae hinc in universum genus humanum incubuit, quo gratiae, qua salvi facti sumus per Dominum Iesum, summa necessitas pateret, e vestigio idem pressius urgens argumentum, subiicit (vers. 18.): *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.*

IV. Constat autem iustitiam Christi non fuisse caussam eiusmodi, ut omnes homines, qui salutaribus baptismi aquis lustra-

ti sunt, iustitiae continuo, et sanctitatis forma illustrentur. Fac enim alterum aliquem mortalis culpae reum sine ulla peccati sui actualis detestatione baptismo initiari, hunc profecto in Christo sanatum quis umquam dicet? vel quis eumdem fortasse arbitrabitur interiorem induisse innocentiae stolam; tametsi sancto charactere insignitus, atque in Christi familiam adscriptus? At nos interea iustitiae et sanctitatis auctorem fatemur Christum, qua tandem ratione? nempe quod obedientia, et sanctitate sua illud promeruit, ut omnes qui sancti futuri sunt, sua ipsius caussa sanctitatem ipsam, et iustitiam reciperent. Ex quo et id pronum est abunde intelligere, quî scilicet Adae peccatum fuerit in omnes homines in condemnationem. Non ita sane, ut quotquot ex Adam per carnalem generationem originem ducunt, omnes illius vitio reipsa inficiantur, sed ut qui oginalis vitii sordibus foedandi sunt, eas profecto sordes, nonnisi ex primaevo illo Adae peccato contraxisse dicantur. Atque hanc esse planam prorsusque indeclinabilem legis illius sententiam, praeter multa, suadet illa in primis comparatio, quam A-

postolus ibidem inter Christi iustitiam, et Adami peccatum instituit.

V. Sentio equidem, et id adversum nos detonari adhuc acrius: si a peccati lege Maria excipiatur, qui stabit incolumis tandem veritas conditionalis illius propositionis, quam tantopere inculcat Apostolus: *Si unus pro omnibus mortuus est* (Christus), *ergo omnes mortui sunt*. Alterutrum enim eorum necessario admittendum, vel scilicet Mariam mortuam fuisse morte peccati, pro ea quandoquidem mortuus est Christus; vel Christi mortem ad Sanctissimam Virginem minime pertinere. Sed Christum pro Maria mortuum non fuisse quis nisi haereticus adseverabit? Necessario ergo cedendum, Mariam in Adamo mortuam, atque adeo originalis lege peccati constrictam. Heus tu, quid? resiste sodes, nec enim nodus tanti est, ut forcipe indigeat. Age videamus. Sane Christum Dominum uti pro omnibus, ita etiam pro Virgine matre mortuum nemo catholicus inficiatur, apertissima enim id evincunt Scripturarum testimonia. Quod vero heinc, suo veluti alveo sequitur Beatam Virginem mortuam fuisse morte peccati, neque eo id repugnabo, modo eo sensu intelligatur, et quod ob-

noxia ipsa fuerit morti peccati, ac necessario moritura, tum ratione Adamiticae transgressionis, cum qua ipsa communionem habebat originis et voluntatis, tum ex vi suae generationis.

VI. Id quod plenissime constabit, modo attendatur; Adae peccatum triplici ratione cum filiis suis communicari. Ac primo quidem Adae filii peccasse dicuntur in Adamo, quando praeceptum Domini transgressus est ille in paradiso. Sed quandoquidem tunc Adae universa posteritas actu non existebat in rerum natura, sed tantum in potentia, hinc non actu, sed potentia tunc peccatum contraxerunt; sive quod tantumdem est, non peccaverunt in se; sed in primo parente, in quo existebant, continebanturque tamquam in capite. Alteram cum Adae peccato communionem habent eius filii, statim atque formari incipiunt in utero matris quisque suae; quamvis ea tantum parte hominis sint instructi, quae subiectum est mentis, nempe corpore. Corpus enim eiusmodi, licet peccati immediatum subiectum esse nequeat, tamen quia ex corrupta natura originem trahit; recte infectum ac vitiatum dices; eidemque ex vi suae generationis debetur, ut simulatque

animam rationalem susceperit, totus exinde homo fiat peccator, et filius irae. Tertio demum communicant cum Adami peccato homines, quo primum tempore, formatis tandem corporibus suis, inspiratur a Deo anima rationalis; tunc enim et reipsa homines, et reipsa peccatores dicuntur, ac omnino sunt.

VII. Haec quum ita se habeant, verum est, ac constanter adserimus Virginem Sanctissimam et in Adamo mortuam, et in Adamo peccasse, sed priori quem enucleavimus modo. Porro si ipsa communicavit cum peccato primi parentis Adae, quatenus in eius lumbis existens transgressa est mandatum Domini in paradiso, profecto eius prima conceptio similis fuit conceptioni aliorum, nimirum originem traxit ex natura corrupta, eique ex vi suae generationis debebatur, ut peccatum actu contraheret, cum primum anima rationali donanda esset. Atque hoc est quod debitum peccati originalis contraxisse dicatur Virgo, quamvis reipsa in instanti primo suae animationis ex singulari Dei beneficio peccati maculam experta sit nullam. Ex quo abunde intelliges, conditionalem illam Apostoli propositionem utraque parte sua in Beatam

Virginem constare: ut quemadmodum beneficium mortis Christi cum omnibus Adae posteris ipsa susceperit, ita et cum omnibus Adae filiis peccati originalis debito fuerit obstricta, nisi eam gratia Dei praevenisset, vel ubi corpore et anima simul esse coepit in utero matris. Demum ad superabundantiam et hoc addere iuvat, neque id vel rarum, vel novum esse in Scripturis, ut qui necessario sit moriturus, *mortuus* sine ullo additamento pronuncietur. Habes locum insignem apud eumdem Apostolum (Ad Rom. VIII.) *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem*; quo loco corpora fidelium iustificatorum *mortua* vocat propter peccatum, non quod reipsa mortua fuerint, sed quod morti obnoxia, ac necessario moritura.

VIII. Postremo ex his, quae adhuc usque sunt a nobis disputata, facile cuivis erit et alterum eradicare scrupulum. De Christo enim liberatore ac Redemptore generis humani scriptum est (Matth. I. v. 21.): *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et Virgo ipsa Salvatorem suum fatetur Christum (Luc. I. v. 47.): *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Ergo, inquiunt, si Christus matrem suam vere liberavit, redemit, salvavit, profecto dubitari non potest, et ipsam quoque obxiam peccato fuisse. Sed quae istae ambages, quae vel diverticula? Adsumant adversarii quod volunt, certe non id efficient quod volunt. Vtique et Redemptor et Salvator matris suae fuit Christus, quatenus ipsam ab originali peccato, non quod contraxerat, sed quo alioqui contaminanda erat, servavit. Neque hic loquendi modus est vel a Divinis Scripturis alienus, vel in Patrum disputationibus novus. Inquit enim Propheta (Psalm. LXXXV. *Eruisti animam meam de inferno inferiori.* Et iterum (Ps. CXLIII,) *Redemisti servum tuum de gladio maligno*; nec tamen in infernum inferiorem Propheta ceciderat, aut a gladio maligno occisus, sed quia Dei beneficio de utroque evaserat periculo, ideo gratias agit Deo. Egregie in hunc sensum Augustinus, qui multorum nobis instar esse debet: *Quemadmodum*, inquit in hunc Psalmi locum, *si medicus videat tibi imminentem aegritudinem forte ex aliquo labore, et dicat: parce tibi, sic te tracta; requiesce, his cibis utere; nam si non feceris, aegrotabis; tu autem si feceris,*

recte dicis medico : liberasti me ab aegritudine , non in qua iam eras , sed in qua futurus eras. Nescio quis habens caussam molestam mittendus erat in carcerem , venit alius , defendit eum. Gratias agens quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor; solutum est pro eo , liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant , sed quia talibus meritis agebantur , ut nisi subventum esset , inde recte dicunt se liberari , quo per liberatores suos non sunt permissi perduci. Haec Augustinus , ex quo abunde satis intelliges recte omnino redemptum , ac liberatum dici non eum modo , qui servus et captivus reipsa antea fuerat peccati, sed eum quoque , qui in eiusmodi malorum aperto discrimine positus , alterius gratia , et beneficio id impetraverit , ne scilicet reipsa subiret. Quum itaque Christus Dominus singularem hanc inter ceteras gratiam Virgini matri suae morte promeruerit sua, ut originalis peccati , quo necessario (siquidem concepta vitiosa parentum concupiscentia) inficienda erat , evaderet vadum; iure profecto ac merito eiusdem Virginis liberator , ac Redemptor, et Salvator dicitur,

CAPUT III.

Virginem Deiparam singulari Divinae gratiae privilegio primaeva immunem labe, ex Patrum traditione probatur.

I. Venio nunc ad veterum Ecclesiae Patrum auctoritatem, ut cui cuique patescat dilucidissime, non aliam fuisse maiorum nostrorum de intemerato Beatissimae Virginis Mariae conceptu sententiam. Obstrepant quantum volunt adversarii, nos antiquitatem sectamur. At vero ut modum aliquem in proposito argumento servemus, Patres omnes qui a primis inde Ecclesiae saeculis ad nos usque floruerunt, quorumque adhuc scripta supersunt, in duas veluti acies instituamus. In altera censebibus quotquot ante Pelagianam exortam haeresim Ecclesiam scriptis ac pietate illustrarunt, quique catholicam de originalis culpae transfusione doctrinam, quod nullis pulsaretur tunc Ecclesia Christi calumniatoribus, fusius explicare haud quidquam necessarium putarunt. In altera vero classe qui post auditam Pelagii haeresim fuse

apertissimeque originalis contagii doctrinam Augustino facem praeferente expresserunt; quique profecto opportuniorem nacti sunt occasionem, clarius expressiusque de immaculata Virginis conceptione loquendi.

II. Atque ut a prioribus illis exordiar, primus omnium Sanctus Andreas Apostolus memorandus occurrit, qui ut in eius actis (c) ab Achaiae Presbyteris, suae praedicationis ac martyrii oculatis testibus, est consignatum, haec dixisse fertur: *Sicut primus Adam formatus fuit de terra antequam esset maledicta; ita secundus Adam formatus ex terra virgine numquam maledicta.* Quod sane antiquissimum testimonium frustra in falsitatis suspicionem adducere Dupinius, tum et intemperantioris criticae theologi quidam videntur, quum omnium catholicorum consensione legitimum sit, atque in legitimo extet antiquitatis Ecclesiasticae monumento (*d*).

III. Post Apostolum Andream, alterum immaculatae Conceptionis praeconem exi-

(c) Extant ap. Andream de Saussay Episcopum, et comitem Tullensem *Lib. de Glor. S. Andreae*, Parisiis. an. MDCLVI.

(d) Confersis Cl. Natalem Alexandrum *Hist. Eccles. Saec. I. Cap. XII. art. X.*

mium Sanctum Amphilochium Iconiensem Episcopum profero, Gregorio Nazianzeno, et Basilio coëvum, iisque multiplici etiam eruditione ex Hieronymi iudicio comparandum. Hic in Oratione IV. in Deiparam Virginem, et Simeonem haec expresse habet: *Qui antiquam illam Virginem* (Evam) *sine probro condidit, ipse et secundam sine nota et crimine fabricavit.* Scio equidem Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum, non Amphilochium, sed Theodoretum Orationis illius adpellare auctorem; sed vero nihil est, quum Amphilochii aequalis Theodoretus ille fuerit, atque in Concilio Ephesino adversus Nestorium disputavit egregie.

IV. Accedit Chrysostomus, qui in sua liturgia diserte inquit: *Vere dignum et iustum est glorificare te* την θεοτοκον την αειμακαριστυν, και παναμωμητον *Deiparam semper beatissimam, et quae nulla macula aspergi queas, matrem Dei nostri honoratiorem Cherubim, et gloriosiorem incomparabiliter Seraphim.* Chrisostomo successorem suum in Episcopatu Proclum adiungo; namque hic in *Orat. VI. in Deiparam* de Sancto Iosepho loquens mirante Virginem sponsam suam utero plenam,

ita expresse scribit: *Non meminerat potuisse eam effici templum Dei, quae ex mundo* (graecus textus habet αγαθιω id est bono) *est formata luto*; quibus verbis non animae solum, sed corporis quoque maculam adhaesisse Mariae, negat Proclus.

V. Ceteros Patres sive Graecos, sive Latinos, qui ante Augustinum floruerunt nihil necesse reor heic memorare; generalibus enim licet locutionibus, pleno tamen ore, unoque consensu praedicant αχραντον, αφθαρτον, αμιαντον, idest impollutam, incorruptam, incontaminatam, quibus nedum ab actualis peccati sordibus, sed a foedissima in primis macula culpae originalis liberam semper extitisse Mariam non obscure significatur. Nam si ea Patrum testimonia cuius cuiuscumque generis peccatum a Beata Virgine removent, bene est; excludunt enim etiam originale. Si non removent, ergo operam Tridentina Synodus lusit, quum ex istis suffragationibus immunitatem Deiparae a peccato derivaverit veniali. Quod si impium, et haereticum est Tridentinos Patres insimulare, quasi generalibus Patrum dictis innixi immunitatem Virginis a culpa veniali statuerint, finierint-

que tamquam traditionem Ecclesiae, quid tandem nos prohibet, quin eadem Patrum testimonia ita accipiamus, ut Deiparae immunitatem ab omni peccato sive actionis, sive etiam originis innuant? potissimum quum in omni retro vetustate ne unum quidem aliquem invenire sit, qui Deiparae nominatim primigeniam adpinxerit labem. Atque haec de Patrum mente, qui Augustinum praecesserunt.

VI. Nunc vero sermo noster ad Augustinum convertitur, quo nemo accuratius mysterium propagationis peccati originalis enodavit. Atque expresse is sanctissimae Dei Matris meminit, et ita meminit, ut communi lege haud inclusam ostenderet. *Excepta itaque* (verba sunt Sancti Doctoris Lib. de Nat. et Grat. Cap. XXXVI.) *Sancta Virg ne Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur haberi volo quaestionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parere meruit eum, quem nullum constat habuisse peccatum. Hac Virgine ergo excepta* cet. Haec autem de Originali peccato esse intelligenda, non est cur pluribus demonstremus. Pelagius Ecclesiae perduellis ut

suum dogma probaret, quo possent homines sine gratiae auxilio, si vellent, sine ullo esse peccato, multorum protulerat, obieceratque Augustino iustorum hominum exempla, qui in Scripturis non tantum non peccasse, sed iuste etiam vixisse referuntur, quales fuerunt Abel, Henoc, Melchisedec, Abraham, ceterique; mox illud urgebat (apud Augustinum ibid. Cap. XXVII). *quorum iustitiae meminit, et peccatorum sine dubio meminisset, si qua eos tandem peccasse sensisset*; concludebat demum: *credamus igitur quod legimus, et quod non legimus nefas credamus adstruere.* Haec Pelagius, cui Augustinus: *O utinam non dico aliud, quam in illis litteris legit, verum contra id quod legit nihil vellet adstruere, fideliter et obedienter audiret quod scriptum est: per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, et non infirmaret tanti medici gratiam, dum fateri non vult naturam humanam vitiatam.* Vide sodes qui Augustinus heic originalis culpa reos omnes incuset, quorum nulla in Sacris Litteris comminisci peccata pertenderat veritatis ille

transfuga Pelagius! quumque unam ex hoc numero exclusam dumtaxat Virginem Dei matrem velit doctor, ecquid iudicii erit monstrum, si quis illum de solo actuali peccato locutum fortasse arbitrabitur?

VII. Iterum sic et haereticum hominem perstringit sanctum Episcopus Lib. V. contr. Iulian. Cap. XV. *Illud sane magnum, verumque dixisti, cum posuisses testimonium Apostoli Petri dicentis: qui peccatum non fecit . . . Nam propterea nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis aetatis ex ortu.* Itaque ex Augustino, peccatum actionis haud aliunde, quam ex foeda originalis culpae labe, emanat. Quod si ratum ipsi nullum unquam Deiparae adhaesisse actuale peccatum: nemo certe, nemo unus non videt, ex sancti doctoris sententia nec originalem quidem labem Beatissimae Virgini impingendam.

VIII. Nunc ceteri, qui post Augustinum floruere in Ecclesia sive Latina sive Graeca, Patres percontandi (*e*). Atque quod ad

(e) Ne vero vel Ambrosium vel Hierony-

Latinos spectat, in his primus occurrit, qui Augustini tum doctrinam, tum elocutionem ipsam pressius imitatus videtur, Fulgentius Ruspensis Episcopus, cuius eximium testimonium supra posuimus, uno et altero verbo ex Sermone de Laudibus Mariae: *Cum dixit, gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primae sententiae.* Fulgentio Faustus Regiensis se adiungit, qui in Libro de veterum Galliae Theologorum scriptis hanc praeclaram habet sententiam: *Porta clausa, idest signaculum pudoris, immaculatae carnis integritas; non enim violata est partu, quae magis est sanctificata conceptu, quae absque omni peccato concepta est in utero.* Accedit et insigne Sedulii testimonium Lib. III. Paschalis operis:

Et velut e spinis mollis surgit acutis

---

mum praetermisisse videar; Ille quidem Serm. XXII. in Ps. CXVIII. *Suscipe me*, inquit, *non ex Sara sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Hic autem in explanatione Ps. LXXVII, in illud: *deduxit eos in nube diei*, expresse ait, nubem illam esse Virginem Mariam, atque e vestigio addit: *Pulchre dixit, diei, quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce*

Nil, quod laedat habens, matremque obscurat honore.
Sic Evae de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquae facinus nova virgo piaret.

IX. Post hos venit Sanctus Hildephonsus Archiepiscopus Toletanus, qui quingentis prope annis Sanctum Bernardum praecessit; cuius et insignia in rem nostram supersunt testimonia in libro adversus eos qui disputant de perpetua virginitate Beatae Mariae, et de eius parturitione (*f*). *Nisi Adam*, inquit, *et Eva primum peccassent in paradiso, nemo deinceps nasceretur in culpa peccati. Maria vero quia benedicta, culpam corruptionis non habuit.* Quae postrema verba non ad solam pertinent nativitatem perfectam, quae scilicet ex utero est, sed ad nativitatem quoque illam, quam inchoatam ibidem sanctus Episcopus appellat, quae nempe est animae cum corpore prima coniunctio. Atque hanc

(f) Sane hunc librum Paschasio Ratberto adiudicat Lucas Dacherius in *spicileg.* qui trecentis ante Bernardum floruit annis. Sed uter e duobus auctor fuerit, nihil nostra interest. Fuit enim horum uterque tum sanctitatis, tum doctrinae ac eruditionis eximiae.

fuisse auctoris mentem vel ex his quae sequuntur, apertissime patet: *Constat eam ab ipso peccato originali fuisse immunem, per quam non solum Evae matris est deleta maledictio, verum etiam omnibus condonata benedictio. Quod quidem praetendebat arca illa iussu Dei a Noe fabricata, quae, aquis diluvii universam terram, et altissimos montes supergressis, sola ipsa supernatans ferebatur in sublime. Arca est Virgo Maria, per quam genus humanum a damnationis aeternae diluvio liberatum est. Quamvis igitur Sancti Patriarchae, Prophetae, Apostoli tamquam montes excelsi virtute et sanctitate vitae obruti sint aquis, et inundatione peccati originalis, ipsa tamen arca nostra universos montes istos supergressa ferebatur etiam in ipso conceptionis initio in sublime puritatis, nec est immersa huic voragini sordis originalis. Quare de ipsa non absurde dicitur multae filiae congregaverunt divitias; idest animae fideles in adoptionem filiationis Dei per gratiam assumptae praeclaras virtutum divitias sibi conservarunt; tu supergressa es universas, quia cum iis omnibus virtutum ornamentis cumulata immunitatem insuper originalis contagionis in conceptu habuisti,*

a qua ceterae non sunt exemptae, Quid hoc testimonio clarius? quid apertius? quid enucleatius ad statuendam de immaculato Virginis conceptu traditionem?

X. Quod si novam Hidephonsus doctrinam, et ante sua tempora in Ecclesia inauditam, adseveratione tanta, atque in tanta illius aevi clarissimorum Ecclesiae scriptorum copia, audax extuderit, qui factum sodes, ut nemo in faciem restiterit illi? aut quae tanta fuit tunc temporis Ecclesiae pastorum oscitantia, ut privati hominis opinamentum iactari tamquam catholicorum communem sententiam, passi sint? An vero Hildephonsum scripta sua blattis tineisque corrodenda in scrinio occultasse quis suspicabitur, ac non potius ad fideles Christianos in rebus fidei, morumque informandos suas intendisse lucubrationes? Ergo conspirabat iam tunc in hanc doctrinam tota Ecclesia.

XI. Ne vero in longum nostra protendatur oratio, unum ex ceteris latinis Patribus, nec amplius, addam Sancti Fulberti Carnotensis Episcopi testimonium egregium ex Lib. I. de Maria *Cap.* III. de salutat. Angelica: *Immaculata semper extitisti ab exordio tuae creationis, quia paritura eras*

creatorem omnis sanctitatis (g). Floruit autem Fulbertus decimo labente saeculo, ac ineunte undecimo; id quod vel eo consilio edico, ut cui cuivis vel obstinatissimo pateat, doctrinam de immunitate Virginis ab originali peccato iam inde ab Apostolico aevo ad undecimum saeculum Sanctis Ecclesiae Patribus et cognitam, et testatam; quod ad traditionem aliquam Apostolicam statuendam sufficere, fortasse nemo inficiabitur (*h*).

XII. Sed tempus est, ut et Graecorum Patrum dicta excipiamus; non eorum inquam, qui quatuor prioribus Ecclesiae saeculis floruerunt, quos supra retulimus, sed qui succedentibus deinde temporibus doctrina ac pietate rem catholicam illustrarunt.

(g) Conferas hunc locum apud Petrum Canisium *Lib. de Deipara.*

(h) Huc accedit et alterum testimonium saeculi XIII. nimirum Ven. Raimundi Jordani (hic est, qui diu latuit sub *Idiotae* nomine. Vid. Card. Bonam *Lib. II. de Divin. Psalm.*) qui *Lib. Contemplat. Cap. II.* Beatam Virginem expresse scripsit totam pulchram esse, non in parte, sed in toto, et maculam peccati in ea non extitisse, sive mortalis, sive venialis, sive originalis.

In his primus occurrit Sanctus Sabas, saeculi quincti Scriptor, qui in *Ode* de S. Malachia ita Deiparam adloquitur: *Tu macularum semper omnium expers, ligno vitae simillima, non alium nobis fructum germinasti, quam Christum.* Suffragatur huic Andreas Cretensis de laudib. Nativ. Mariae: *Primitiae naturae nostrae, quae ex tota conspersione nihil inquinamenti suscepit.* Succensendus Sophronius Hierosolymorum Episcopus, qui in Epist. ad Sergium Episcopum Constantinopolis, quae lecta est in sexta Synodo Act. II. haec habet: *Uterum intactum virginitatis ingressus, castitatem lustratam Mariae Sanctae praeclaraeque, et quae Dei sunt, sapientis, et ab omni contagione liberatae et corporis, et animae, et intellectus, incarnatus qui erat incarneus.* Tum et Ioannes Damascenus Orat. de Natal. Virginis: *Natura gratiae germen antevertere ausa non est, verum tantisper expectavit, donec gratia fructum suum produxisset . . . O beatos Ioachimi lumbos, e quibus immaculatum semen effluxit! O beatum Annae uterum, in quo tacitis incrementis formatus fuit sanctissimus foetus! . . . O sanctissima, quae Principatus, et potestates fefellisti, imma-*

culata conservata in sponsam! Et rursus Orat. II. de Assumptione: *Ad hunc paradisum, Mariam scilicet, serpens aditum non habuit.* Ac demum Homil. de Annunciat. *Primo quidem, singulari providentia perfecit Deus, ut ab ipso vitae suae principio tam existeret pura: quam esse puram decebat illam, quae tanto bono, idest Christo digna existeret.*

XIII. Post Damascenum commemorare heic ceteros Graecos superfluum duco, tum quod ex iis, quos recensui, satis de aliorum sensu arguere liceat; tum quod ex eo inde tempore, quo primum in Ecclesia Graeca immaculatus Virginis Mariae conceptus coli sollemniter coepit, numquam succedentibus ad haec usque temporibus sive intermissam, sive neglectam anniversariam eiusdem diei celebritatem observamus. Ex quo sane fit, graecam Ecclesiam semper cum latina conspirasse in huius professione doctrinae.

CAPUT IV.

Adversariorum contra propositam traditionem argumenta diluuntur.

I. SEd vero antequam longius nostra decurrat oratio, excutiamus quid ex Patrum auctoritate nobis oggerant adversarii. Scio equidem eamdem cantionem et heic recantare illos, nimirum id inconcusso Patrum testimonio ratum, neminem omnino praeter Christum unum originarii peccati lege liberum. In hunc censum venit Sanctus Leo *Serm.* I. de Nativit. *Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Tum et Cyrillus Lib. XVI. in Levit. *Solus Iesus est, qui numquam invenitur extra sancta, solus qui peccatum non fecit.* Ambrosius item Lib. II. in Lucam: *solus per omnia ex natis de femina Sanctus Dominus Iesus.* Et Augustinus tum alibi passim, tum praecipue *Tract. IV. in Ioan.* singulare id adfirmat fuisse in Christo, ut nempe non haberet carnem peccati, quia conceptus non fuit ex semine viri.

Demum ut alios praeteream ita et Gregorius Magnus Lib. XI. Moral. Cap. XVIII. verba illa explicans: *non adaequabitur ei aurum de Ethyopia.*

II. At non est cur vel tantisper indagandae Patrum istorum menti immoremur; perspicuum enim est, hoc unum eos insinuasse, vni Christo iure suo omnis expertem delicti deberi conceptionem, siquidem commercium ab se virile, omnemque adeo foedae libidinis aestum excluserit. Id vero quum de ceterorum hominum conceptione dici haudquaquam possit, hinc probe a Patribus solus ipse Sanctus et conceptus et natus dicitur inter natos de femina; ceteri vero infecti, vel necessario inficiendi peccato, nisi singulari Dei beneficio et gratia alicui ex omnibus datum, ut originaria praeservaretur labe; quod certe Beatae Virgini concessum ipsi Patres docuerunt. Habet itaque hoc Beata Virgo ex gratia, ut sancta vel in primo ipso suae animationis instanti extiterit, (nam ex vi suae generationis peccati maculam contrahere necessario debuisset) quod Christus Iesus filius suus iure sibi quaesivit suo, ut scilicet sanctus conciperetur. Nec vero infrequens in Scripturis, ac Patribus hic loquendi mo-

dus. Apostolus nempe (I. ad Tim. I.) *Qui solus habet immortalitatem*. Et in Evangelio (Lucae XVIII. 19.) *Nemo bonus nisi solus Deus*; quae sane locutiones eo profecto tendunt ut nempe solus Deus natura sua, et a se ipso habeat immortalitatem, et bonitatem; ceteri si quae huiusmodi habeant, mutuata habeant, atque Dei beneficio sibi prorsus indebito communicata. Quoad Patres vero, unum ex multis producam Ambrosium, qui de Christo loquens Lib. I. Interpr. in Tob. Cap. VI. *Solus ipse*, inquit, *adhuc resurrectione perpetua resurrexit*. Quo loco ea enimvero Sancti Episcopi mens fuit, ut solus Christus resurrexerit resurrectione perpetua, iure sibi debita, quia ipse est resurrectio, primogenitus ex mortuis, et caussa resurrectionis omnium; non autem ut excludere voluerit, quin aliqui, et praecipue Maria Christi mater post Christum, et per Christum singulari privilegio anticipate ad aeternam vitam resurrexerint.

III. Praeterea Rupertum veluti suae caussae patronum adsciscunt adversarii, qui Lib. I. in Cantic. haec expresse de Beata Virgine habet: *Et ut quidem veraciter dicere potueras, ecce enim in iniquitati-*

bus concepta sum, et in peccatis concepit me mater mea: *Quum enim esses de massa, quae in Adamo corrupta est, hereditaria peccati labe non carebas.* Sed Ruperti mentem serio perscrutantibus, id adprime innotescit illum voluisse, quod scilicet Beata Virgo, eo instanti, quo Christum concepit in utero, non fuerit ebria vino voluptatis, quo detinentur ceterae mulieres. *Non fueras*, sunt verba Ruperti Virginem adloquentis, *experta vitium huius saeculi carnalis, voluptatis vitium, sine cuius ebrietate nulla unquam mulier praeter te concipere potuit, aut poterit, et tamen diiudicare nosti, quam dulcior et fortior esset voluptas sive amor Dei, in quo concepisti: sine dubio potata es illius torrente voluptatis.* Hic continuo subiicit quae supra retulimus verba, ac statim pergit: *sed ante faciem huius amoris peccatum, nec illud, nec aliud stare potuit, ante faciem huius ignis stipula omnis interiit, ut totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis novem mensibus habitaret.* Vide igitur Rupertum de ea conceptione in primis sermonem instituisse, qua Verbum divinum in utero concepit suo Beatissima Virgo, quae sine

ulla certe fuit sensus voluptate, cuiusmodi ex adverso ceterae experiuntur mulieres propter hereditariam labem. II. Siquidem vero carnis voluptatem ipsa quoque Beata Virgo fuisset experta, nisi virtute foret altissimi obumbrata (nimirum singulare istud privilegium Christo Domino datum, ut ex Spiritu Sancto conciperetur; quamobrem dicere de se minime omnium potuit: ecce ego in iniquitatibus conceptus sum) ideo et ipsa fateri de se verissime poterat, ac debebat: Ecce ego in iniquitatibus concepta sum, quippe quam non sine carnali sensus voluptate conceperat mater sua. Atque in ea certe voluptatis foeditate Christum Dominum concepisset vel ipsa Virgo, quum esset de massa, quae in Adam corrupta est, nisi fuisset ab eius voluptatis ebrietate singulari Dei munere praeservata. Quae quum ita sint, equidem non video qua fronte Rupertum urgeant adversarii, quum vel hinc luculentissime appareat, illum ad conceptionem activam parentum Virginis, hoc est ad unam seminum complexionem; quae fit in coniunctione maritali animum ac verba intendisse, non vero ad conceptionem passivam,

ut aiunt, quae consistit in coniunctione mentis humanae cum corpore.

IV. Sed in quo maxime gloriantur adversarii, is est Bernardus, quem ego minime omnium immaculatam Virginis conceptionem impugnasse contendo (i). Nem-

(i) Centum supra mille paene iam a Christo nato effluxerant anni, quibus quum multa, eaque praeclara, ac prorsus singularia de Virginis Mariae sanctitate, sive cognita sive illustrata primum fuerint in Ecclesia Christiana, dum nihil interea de sui conditione conceptus expresse aperteque traditum, aut disputatum esset, duodecimo demum medio fere saeculo controversiae huic aditum aperuit Ecclesia Lugdunensis. Haec enim, ut a Sanctissima Dei Genitrice singularem quidem prae ceteris gratiam iniret, seu vero ad aemulandum Anglicanae Ecclesiae praesertim, Canturberiensis exemplum, in qua iam inde ab saeculo XI. abs Anselmo Archiepiscopo (ut expresse testatur Concilium Londinense anni MCCCXVIII.) celebrari primo coeptum immaculatae conceptionis festum (licet longe antiquior huius festi memoria habeatur in legibus Wisigotthorum, in quibus Ervigis regis lex: *festum S. Virginis Mariae, quo gloriosa conceptio eiusdem genitricis Domini celebratur*; quod monumentum frustra sollicitare adnititur Cl· Thomasinius),

pe in ea epistola, quam ad Canonicos Lugdunenses dedit, duplici ex capite in eos vehementer invehitur. Primo, quod rebatur illos conceptioni libidinosae, quae prima seminum comprehensio dici solet, honorem et cultum detulisse. Atque eum, inquit Sanctus Abbas, *honorem non probat ratio, quod enim sanctum non est, coli non debet. An forte inter maritales complexus sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul et sanctificata fuerit, et concepta? Aut certe quomodo peccatum non fuit ubi libido non defuit?* De altera vero conceptione, quae in coniunctione mentis cum corpore versatur, ne verbum quidem habet in tota collocutione Bernar-

---

quum anniversariam eius diei memoriam sollemni ritu quotannis recolere instituisset, re ad Bernardum, sanctitatis ac doctrinae fama tunc temporis clarum delata, aegre is adeo festi celebritatem tulit, ut e vestigio ad Lugdunensis Ecclesiae Canonicos scripserit; novitatem in primis illis opponens, quam veluti matrem temeritatis, sororem superstitionis, filiam levitatis expresse accusavit. Confersis Epist. CLXXIV. qua tamen a suscepto iam cultu avocare Lugdunensem Ecclesiam minime valuit Bernardus.

dus ; usque adeo ab ea impugnanda est alienus ! Alterum querelarum Bernardi caput illud erat, quod diem conceptioni Beatae Mariae sacram quotannis sollemni ritu celebrare coepissent, Romana cathedra inconsulta. *Nulla Virgini*, sunt Bernardi expressissima verba, *ratione placebit contra Ecclesiae ritum praesumpta novitas . . . Consulenda erat prius Apostolicae Sedis auctoritas.* Ac mox se fixum ratumque habiturum profitetur quidquid hac in re ab Ecclesia Romana statutum sancitumque foret : *Romanae Ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cetera quae huiusmodi sunt, universa reservo, ipsius si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.* Ex quibus pronum est cuivis intelligere Bernardum, si hac aetate nostra viveret, non probaturum modo celebritatem conceptionis immaculatae, sed execraturum quoque illos, qui quum videant festum illud publico ac universali cultu per totam Ecclesiam constitutum, atque Romanorum Pontificum iterum iterumque auctoritate firmatum, adhuc tamen morantur Virginem Sanctissimam labis expertem profiteri.

CAPUT V.

Virginem Deiparam singulari divinae gratiae privilegio a peccato originis fuisse praeservatam, Romanae Ecclesiae auctoritate firmatur.

I. Reliquum id est; ut Romanae Ecclesiae attendamus auctoritatem. Hinc enim summa Christianae professionis regula ceteris per orbem universum constitutis Ecclesiis est accipienda. Romanae autem Cathedrae ubi auctoritatem dico, summi item in ea sedentis, docentis, gubernantis Pontificis (quem, ut Chalcedonensis Concilii verbis utar (k): *nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit.*) potestatem, auctoritatemque dico; quando

(k) Ita quidem in adloquutione Concilii Chalcedonensis ad Imp. Marcianum: *οθεν ατρωτον υμιν εκ πλανης ο Θεος επενοησε προμαχανον, και του της πωμαιων προς νικην ευτρεπισε προεοδον: Unde nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit, et Romanae Ecclesiae Papam ad victoriam praeparavit.* Apud Labbeum Collect. Concil. Tom. IV.

ita connexa ac colligata haec duo inter se Patres universi docuerint, quemadmodum humano corpori caput.

II. Scilicet igitur id modo est mihi expendendum, Romanam Ecclesiam, vim tantam, tantumque ponderis immaculatae Virginis conceptioni tribuisse, ut certissima atque indubitata sit prorsus tenenda. Quod sane ubi erit demonstratum, actum perinde cum adversariis nostris totum erit negotium; Namque id tantum desiderabat Bernardus: *Romanae Ecclesiae auctoritati ac examini totum hoc reservo.*

III. Porro Ecclesia Romana festum Immaculatae conceptionis, cuius anniversaria sollemnis memoria ab universis fere catholicis Ecclesiis colebatur (l), probavit pri-

(l) Constitutionem Sixtus IV. Pontifex tulit Kalendis Martiis anni MCCCCLXXVI. cui initium: *Quum prae excelsa*, in qua Missam, et Officium immaculatae Virginis, cura Leonardi Nogarolae Clerici Veronensis, ac Notarii Apostolici digestum, ab se vero probatum declarat; tribuitque fidelibus cunctis, qui in festo conceptionis Deiparae sive Missam, sive Officium celebrent, aut celebrantibus intersint, easdem omnino indulgentias, quibus Vrbanus IV. Clemens V. et Martinus V. festum sollemne Corporis Christi,

mum ipsa sub Sixto IV. Pontifice (m), atque exemplo suo, si qua adhuc reliqua fuerat, ad eumdem festum celebrandum provocavit. Tum sub Clemente XI. praecepto insuper obstricti quaquaversum per orbem fideles, ut diem illum servarent, colerentque, quem sponte hactenus sua, atque animi in Parentem Dei Sanctissimam optime affecti libera quadam propensione celebraverant; quo sane praecepto quid aliud praestitit illa, nisi suum de re probatissima exprimere votum (n)? Illud enim-

---

eiusque Ecclesiasticum Officium ornaverant. Conferas alteram Sixti constitutionem anno MCCCCLXXXIII. cui initium: *Grave nimis* inter Extravagant. Lib. III. Tit. de Reliquiis, et Venerat. Sanctorum. Cap. II.

(*m*) Constitutionem edidit Clemens XI. an. MDCCVIII. quae incipit: *Commissi nobis*.

(*n*) Lata Alexandrina Constitutio an. MDCLXI. VI. Idus Septembres, cui initium: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*; qua Constitutiones omnes antea latas tum confirmat, tum alia multa decernit, quae huc saltem in imam pagellam transferre, operae pretium existimo. » Sane vetus est » Christi fidelium erga eius beatissimam Virgi- » nem Mariam pietas, sentientium eius animam » in primo instanti creationis, atque infusio-

vero immotum ratumque semper fuit apud Catholicos, eritque semper, quod a Patri-

» nis in corpus fuisse speciali Dei gratia et pri-
» vilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius
» filii, humani generis Redemptoris, a macula
» originalis peccati praeservatam immunem,
» atque in hoc sensu eius conceptionis festivi-
» tatem sollemni ritu colentium, et celebran-
» tium; crevitque eorum numerus, atque hu-
» iusmodi cultus post editas a felicis recorda-
» tionis Sixto IV. Praedecessore nostro, in
» eius commendationem Apostolicas Constitutio-
» nes, quas Sacrum Concilium Tridentinum
» innovavit, atque observari mandavit. Aucta
» rursus, et prorogata fuit pietas haec, et cul-
» tus erga Deiparam post erectos hoc nomi-
» ne adprobantibus Romanis Pontificibus Re-
» ligiosum Ordinem, et Confraternitates, ac
» concessas ab iisdem indulgentias, ita ut ac-
» cedentibus quoque plerisque celebrioribus Ac-
» cademiis ad hanc sententiam, iam fere om-
» nes Catholici eam complectantur . . . . . .
» Nos considerantes, quod Sancta Romana Ec-
» clesia de intemeratae semperque Virginis Ma-
» riae conceptione festum sollemniter celebra-
» bat, et speciale ac proprium super hoc offi-
» cium olim ordinavit iuxta piam, devotam, et
» laudabilem institutionem, quae a Sixto IV.
» Praedecessore nostro tunc emanavit, volen-
» tesque laudabili huic pietati, et devotioni,

bus primo traditum, deinde nemine repugnante ab omnibus exceptum, atque ab

» et festo, ac cultui secundum illam senteutiam
» exhibito in Ecclesia Romana, post ipsius cultus
» institutionem numquam immutato, Romanorum
» Pontificum praedecessorum nostrorum exem-
» plo favere, nec non tueri pietatem et devo-
» tionem hanc colendi, et celebrandi Beatissi-
» mam Virginem praeveniente Spiritus Sancti
» gratia a peccato originali praeservatam: cu-
» pientesque in Christi grege unitatem Spiritus
» in vinculo pacis, sedatis offensionibus, et iur-
» giis, amotisque scandalis conservare: con-
» stitutiones et decreta a Romanis Pontificibus
» praedecessoribus nostris, et praecipue a Sixto
» IV. Paullo V. et Gregorio XV. editas in fa-
» vorem sententiae adserentis animam Beatae
» Mariae Virginis in sui creatione, et in cor-
» pus infusione Spiritus Sancti gratia donatam,
« et a peccato originali praeservatam fuisse,
» nec non et in favorem festi, et cultus Con-
» ceptionis eiusdem Virginis Deiparae, secun-
» dum piam istam sententiam, ut praefertur,
» exhibiti, iunovamus, et sub censuris et poe-
» nis in iisdem constitutionibus contentis ob-
» servare mandamus. Et insuper omnes et sin-
« gulos, qui praefatas constitutiones seu de-
» creta ita pergent interpretari, ut favorem per
» illas dictae sententiae, et festo, seu cultui
» secundum illam exhibito frustrentur, vel qui

ipso Angelico Doctore in primis adnotatum (*Part. II. Quaest.* 27. *art.* 1.) videlicet non celebrari ab Ecclesia festum,

» hanc eamdem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra » ea quoquomodo directe vel indirecte, aut » quovis praetextu etiam definibilitatis eius examinandae, sive Sacram Scripturam, aut » Sanctos Patres sive doctores glossandi, aut « interpretandi, denique alio quovis praetextu « seu occasione; scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, et insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo » disserendo ausi fuerint, praeter poenas et » censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, et per » praesentes subiicimus . . . . eosdem aliis » poenis nostro, et eorumdem Romanorum » Pontificum successorum nostrorum arbitrio » infligendis pariter subiacere volumus, prout » subiicimus per praesentes ». Haec satis ex Alexandrino diplomate, ut quivis intelligat expressissime tandem apertissimeque omnium declarasse Alexandrum id fuisse ac esse illius Ecclesiastici cultus scopum, praeservationem Deiparae a peccato in ipso primo instanti, eoque pertinere omnia quaecumque Romani Pontifices antea decreverant.

nisi de aliquo Sancto ; ex quo ineluctabili , atque inconcusso prorsus principio , certissimam illam exploratissimamque consecutionem ipse eduxit Angelicus , ut Virginem probaret in ipsa sua nativitate sanctam , quippe cuius festum diem Ecclesia sollemniter iusserat celebrandum. An vero catholico homini dubitare licebit quin Mariae naturalis conceptio immaculata fuerit , eadem Romana Ecclesia volente ac iubente , ut eius festum ab universa celebretur Ecclesia ? Ipsi videant.

IV. Neque vero dices Ecclesiam Romanam sive probando , sive praecipiendo id festum , haud quidem in sanctitatem intendisse Deiparae conlatam , longe antequam ipsa in lucem prodiret , sed post primum tantum temporis instans ab primo conceptu. Hanc enim cavillandi ansam omnino praeripuit Alexander VII. Pontifex , data constitutione , qua luculentissime aperuit , eam semper fuisse Ecclesiae Romanae mentem , ut non aliud eiusmodi Ecclesiastici cultus sit obiectum , quam praeservatio Deiparae a peccato originali in ipso statim temporis momento , quo anima Beatae Virginis corpusculo sibi prognato primum adhaesit. Ecquod igitur superest effugii ?

V. Novi equidem quid versipelles homines moveat, quominus firmissimo huic Ecclesiae Romanae testimonio adquiescant. Nimirum arbitrantur ipsi, festum immaculati conceptus rem esse merae disciplinae, proindeque mutationi obnoxiam. Quid hoc opinamenti monstrum? ergone eo devenimus tandem ut Ecclesiam Romanam errare posse credamus in proponendo toti ecclesiae cultu ad Religionem spectante? Apage! Cultum enim Dei, sanctorumque suorum, universae Ecclesiae ab Romana Sede propositum, et ab universa Ecclesia prono animo receptum, ac rite delatum, ecquis umquam erit inficiaturus apertam esse fidei Christianae professionem (o)? Ita sane San-

(o) Impiam adversariorum opinionem, vel haereticam haud ego audeo adpellare. Dicam libere autem, uti sentio, falsam illam, ac erroneam, et si quid aliud; siquidem directe adversatur propositioni catholicam doctrinam exprimenti. Propositionem enim doctrinae catholicae illam dicimus, quae quum semper, et ubique, et ab omnibus recepta fuerit Ecclesiae filiis, tum a Sanctis etiam Patribus pro data sibi scribendi materia litteris consignata, et expressa, tametsi in articulis fidei nondum habeatur, quod sive Romani Pontificis, sive OE-

ctus Thomas, ita et Theologi; Num vero in fidei professione errare cum Ecclesia

---

cumenici Concilii aperta careat definitione: cuius profecto generis illa est propositio: *quidquid ab Ecclesia universa colitur, id et verum, et sanctum est*. Atque ista sane constanter adeo Ecclesiae universae fuit persuasa, ut merito axiomatis loco unanimi sermone Patres constantissime inculcaverint. Hinc Sanctus Bonaventura *Distinct. III. Art. I. Quaest.* 3. sanctificatam esse Beatam Virginem in utero Matris pro certo, et indubitato tenendum adfirmavit, *quod eius nativitatem tota Ecclesia celebrat*, quod non faceret, nisi sanctificata esset. Quam ipsam argumentationem adposite Hildefonsus usurpat *Lib. de Parturitione Virginis*, tum et Sanctus Bernardus *Epist. CXCIV*. Quum autem in generali ista propositione, *non celebrari ab Ecclesia nisi quod verum et sanctum est*, singularis illa contineatur, Beatissimam Virginem originali immunem fuisse peccato, nemo non videt quanto in errore versentur qui contra senserint. Neque vero me hac in re vel minimum tentent adversarii. Provoco eos enim ad eminentissimum iudicem, eumque minine suspectum, Dominicani scilicet Ordinis Theologum Vincentium Mariam Cardinalem Gottum, qui in re haud absimili severiorem, iustissimam tamen omnium tulit sententiam. Nimirum edisserens Lib. IV. de Veritate Religionis Christianae Cap. XLI. qua censura notari dignus sit,

Romana Ecclesiam universam dicemus? sed quis talia blasphemaret? nimirum inerrantia, quam Christus Dominus Ecclesiae suae

---

qui negaverit Beatam Virginem ad coelos fuisse cum corpore redivivo adsumptam, sic statuit: *Hunc enimvero fore de haeresi vehementer suspectum, non quia praecise communi credulitati se opponeret, sed quia praesumeretur hoc ex iudicio erroneo procedere, nimirum quod Ecclesia universalis proponeret Beatam Virginem sub titulo falso colendam.* Atque bene noverat subactissimus Theologus doctrinam de corporea Deiparae in coelos assumptione, etsi communiter in Ecclesia receptam, nulla tamen eiusdem Ecclesiae expressa definitione adhuc explicatam; nisi quod praeceptum dederit illa fidelibus universis, festum illius diei, quo Beata Virgo ad coelos adsumpta pie creditur, memoria anniversaria recolendi. Quo praecepto quid ipsa a Spiritu Sancto edocta et sentiret, et crederet satis aperte significavit. Quod si ex huiusmodi religioso cultu dumtaxat, tam firma ac constans visa est Eminentissimo auctori doctrina de Beatae Mariae adsumptione corporea, ut quisquis contra senserit in errore versetur, haeresi proximo, sitque de haeresi vehementer suspectus; an sodes iniquioris iudicii accusabitur aliquis, qui in eodem luto haerentem, Deiparae nempe impugnantem Conceptionem innoxiam de haeresi suspectum argumentando pronunciabit?

tribuit, non ad fidei controversias tantum definiendas pertinet, sed ad tradendam quoque Christiano gregi morum certissimam regulam. Id quod et ex Apostolo patet (1. Ad Tim. 14. 15.) ubi Ecclesiam *Dei vivi columnam* adpellat, et *firmamentum veritatis*, in iis etiam praescribendis quae ad Christianae pietatis perfectionem, formamque vitae ac morum spectant. Ibi enim Apostolus nonnisi vivendi normam tradiderat, quam teneret ac sequeretur tum ipse Timotheus, tamquam gregis Pastor, tum fidelium sibi creditorum grex universus. Jam si Ecclesia errare nequit in proponenda Christiano gregi fidei doctrina, quae ista insania erit eamdem Christi sponsam errori facere obnoxiam in iis quae ad mores formandos praescribit? Huiusmodi enim est cultus religiosus, quem Sanctis cum Christo regnantibus, Ecclesia Romana volente iubenteque, deferimus.

VI. Sed cedo aliquantisper. Fac interea Ecclesiam in eo fallere aliquando ac falli; fac et in tradendis formulis, votis, supplicationibusque errare posse. Quid erit hoc tandem errore perniciosius? quando nostrorum nos criminum veniam, atque coelestem quoque gratiam amicitiamque conse-

cuturo eo sequestre, et advocato sperare iuberet, qui Deum, cui invisus olim fuerit, eritque perpetuum, ad iracumdiam potius provocare non cesset! Proh nefas dictu, audituque horrendum quam maxime! En quo se demum praecipites agunt, qui errorem huiusmodi Ecclesiae Romanae impingunt! En quantum ad communes Ecclesiae universae mores interest, recte nosse quos demum sequestres, et malorum nostrorum deprecatores apud Iesum Christum, et Patrem habeamus, quos invocare, quos colere tuto possimus.

Atque haec, quae de sancto ac immaculato Virginis conceptu dicerem, habui; quaeque in Dei omnipotentis gloriam, ac Domini nostri Iesu Christi, eiusque Sanctissimae Matris laudem, et honorem cedant. Amen.



M. ARCHANGELO LVPVLO

REG. PALAT. HERCVL. ACCADEM. XV. VIRO

VIRO CLARISSIMO

ANGELVS LAMPREDIVS

S. P.

Qvamquam apud me, Vir Clarissime iamdiu summam eruditionis existimationem acceperas; ex quo nimirum inspexi praeclarum illum Commentarium in veterem Corfiniensem Inscriptionem, in prima tua iuventute elaboratum, praeter egregia alia sanctae antiquitatis novissime edita opera: sed iam tum equidem quum patriae litteraturae columen Vir Amplissimus Franciscus Danielius pro suo singulari quo est in me studio coepisset dono mittere Theologicas tuas praeclarissimo opere elucubratas lectiones, et impensam habui erga te voluntatem, et a me in amicorum colloquiis

semper habitae sunt de te laudes. Scilicet ad eam spem quam extra ordinem iam inde de te Ecclesiae, Religionique profuturo conceperam, non solum propter eruditionem, et acre iudicium (haec enim ornamenta sunt fortasse tibi etiam cum aliis communia), accedunt iam tua praecipua propter ingenium versatile, summamque industriam, atque peritiam in promendis ex sanctiore Scripturarum aerario argumentis, et in integris divinarum rerum fontibus per nostrorum maiorum latifundia exquirendis; quod sane est exitu' rebusque cognovisse, te occurrisse maturius expectationi, quam concitaveras, non modo eam spem non fefellisse. Enimvero suspexi te pro rei dignitate quasi ex Theologico adyto dantem responsa, in quibus nemo nisi plane in rebus optimis sensum amiserit, vel mente sit laeva, non concinnam brevitatem cum perspicuitate non admiretur, verum etiam in umbratili oratione facilem, et nati-

vam elegantiam, qua tu quodam quasi Musaeo lepore contingis ea quae dicis, et praeterea lucidum quemdam ordinem, et venustum in multigena illa eruditione, et veterum monumentorum segete, quae tibi usque est sub manu: praeterea expeditam disserendi aciem quasi punctim, ac caesim petendo victricem. Quae omnia cum mihi admirabilitatem fecerunt, tum obtinent magni Petavii instar graphycoterōn (si Vitruvianam vocem sequi licet), et in quo lineam non transis, ut ajunt, praesertim in lucida nubila primigenia discutienda, et in Tertulliano disertissime vindicando. Tanta adeo affluis rerum venustate et varietate, ut si illustrium locorum, quorum luce vel obtusam aciem procelli necesse est, vellem hic tibi indicem facere, ipsos libellos stellulis ornatos ad te remittere opus fuisset: aut vero si ea παρεργα quia vellet colligere multis partibus plura in quibus identidem illatis ima pagella pro-

cedit (uti nimirum ne opportunarum copia animadversionum aptam colligatamque seriem invertat) nae is quasi exquisitam dapem ex analectis collectam habebit. Tantum ego (ut videas quanta mihi sit tecum in omnibus, quae in re nostra sunt, summa consensio), actis Andreae Apostoli a Woog Lutherano homine egregie vindicatis omnem tribuo αυθεντιαν; atque de Dupinio non proinde judico, ac si esset egregius auctor; cuius nec graece, nec latine docti sublestam eruditionem saepissime deprehendi, nec mea usquam existimatione dignum putavi hominem audacissimum, totumque constantem ex fallaciis, ubi Ecclesiae statum, atque judicia cupiat deiicere; tuque quod specimen est pro tempore insulsam cavillationem de Pelagiana *causa finita* pulcherrime refellis. Ne multis, ita mihi persuasi (potest fieri ut fallar) cum hac tua Institutione non posse quamlibet aliam comparari, postquam pari

strenuitate totum opus profligaveris: atque is tibi delectus rerum est, eaque tractandi ratio, ut et temporis compendio et emolumento certissime superes libros οπιστογραφυς, quos Lucianus vocat; et Iuvenalis *intus et a tergo scriptos.*

Atque Lucianus idem, ut aliud ex alio, illustriorem locum tuae laudi illic videtur ingerere, ubi sua illa φρασι visus est graphyce eos pinxisse, qui Theologorum προσοπειον apud nos ludunt item ut molles histriones, qui nec heroice loqui, nec incedere docti Herculem agere audent in scena, quibus si honos habendus esset, non se contineret Hercules ipse quin clava contereret in sanctissimis rebus ineptos, et deliros. Non hic memorem Lugdunensem illam paucis ante annis dolo malo invectam mercem; non quemdam Consortium, in quo mera garrulitas circulatoriae locutionis, alium intidem Genuensis nomine illud pugnantem, et enitentem, ut iniquas acies, quibuscum tan-

tum videtur consuevisse, instrueret, ipso interea quasi parmula projecta triarios, quos non novit, implorante: non hos, inquam, aliave huiusmodi Theologici nominis καθαρματα velim indicere, quos nequidem duobus obolis emendos praedicaret Hermes praeco. Tu certe unus et debilitatum apud nos Theologi nomen honestas, et labem eluis illatam, vel ab horum imperitia, qui nec quae conradunt undique, intelligunt, vel a socordia, qua Hesiodaeis (ἐργ. v. 302.) κηφηνεσσι κοτεροις ικελοι, αεργοι εθοντες alienos labores absumunt sine delectu, imo vix quidem convasare, atque digerere sciunt; vel etiam ab impietate, qua nobilissimam disciplinarum, erroribus quacunque eunt quasi saeculo satis, Harpiarum ritu ubique *contactu foedant immundo.*

Ego adeo tametsi non tam multum in his rebus intelligo, quam multa vidi; vidi tamen, penitusque prospexi, rem Theologicam apud nos de

statu deiectam, atque instar Nubis Ixioniae captari. Quid multis? memini vidisse haud pluribus abhinc annis quemdam verbis phaleratis exultantem proinde ac si coecus succussator esset; qui uti uno ictu subrueret ipsos duodecim de matrimonio Canones Tridentini (quod Sarpii pravitatibus imbuti inficete post Vergerium vocare audent *Concilium Scholasticorum*) perspecte, et firmiter, ut huius farinae decebat Theologum, concludebat, contractum civilem reipsa relinqui solum in coniugio viduarum, quippe a quo Rituale Romanum faciat abesse benedictionem Sacerdotis, qua Sacramenti ratione omnino constitui sit exploratum. Haud diu etiam est quum ad me fuit allatum de alio, qui pro conditione adeo laudaret matrimonium ut illo faceret sequiorem υψηλωτεραν την ταυτην πολιτειαν, quam *Virginitatem* vocant Graeci Patres. Quae tamen impudentia, quasi prae illo blaterone Pauli γνωμην contemni liceret, isthic pa-

tronos ineptissimos nacta est. En quae spectacula eruditis hominibus externis visenda ac ridenda committunt Theologi nostrates! Age nunc CLARISSIME VIR, ab istis ἀγωνιστικην illam tuam, aut vero σκολαστικην reposcas; quos nec illa didicisse putem, quibus puerilis aetas ingenuorum ad focum, avia praeeunte, informari solet, nedum δωγματικην in Pastorum tractatibus edoctos.

Atque ipse, cui, ne rivulos consectarer, nativam frugem pro eo, ut mea fert conditio, hausisse licuit ex nostris maiorum gentium Patribus, praesertim Graecis, dudum optaveram, uti in tanta orbitate matris Ecclesiae hominum doctorum, quod ego ne conari quidem habebam, locupletior alter perficeret; idest ex integris illis fontibus ab aliquo qui et eruditione, et ingenio, et stylo, atque aliarum facultatum subsidio instructus, meque adeo melior esset horum omnium egeno, institutio aliqua non tralatitia, atque non itidem

ridenda conderetur. Spem quidem mihi antea iniecerat vir nostri ordinis adprime doctus in Campano ephebaeo ad Institutiones Theologicas strenue aggressus (*a*). Non quippe ei deerat fauta supellex, eratque affatim subsidiorum illorum, quae summum habent in hac palaestra adiumentum. At non multo post, quum mihi allatum de eo esset, ablegatum hinc fuisse cum Episcopali Potestate in Peucetios, siluerunt eius musae; atque egregia conata, quod sciam, non est exequutus, ipseque quasi Iovis satelles ex ea umbra non emersit.

Interea mihi illam vastitatem spectanti nihil veniebat in mentem, non modo quod ea in re sperarem, sed vix quod licuisset optare. At enim in hac ipsa necessitate, quum primum, VIR CLARISSIME, vidissem tuas Lectiones politissimas omni doctrina, et elegantia,

(*a*) Is est V. Cl. Nicolaus Vecchius Cupersanorum Episcopus; mox ad Theanensem Ecclesiam translatus. *Typographus*.

teque complexum maxime subsidiorum illorum facultatem, quam tibi Superi dederunt, tantam caepi laetitiam, ut vix mihi imperaverim, ne iam tum tibi litteris gratularer.

Quid vero est, cur hactenus non miserim? vel causae fuit, quod cum incundissimum quasi munus dedisses in confodiendo Arianae aut Socinianae impietatis monstro; a Patribus quoque Antenycaenis classicis testibus productis calumnia depulsa; et praeterea Ioannis initio eadem venustate ac Geneseos explicato, pestes omnes huic tantae rei illudentes, quasi ducto rastro, ut ais cum Cyrillo, contusas delevisses; aut vero, ut mihi videtur, eo veluti iniecto reti mirmillones illos infractos fixisses: non adhuc tamen vicisse meam videbaris expectationem. Volebam nimirum voluntatis erga te meae caussa, cum hactenus Theologus rectus aeque ac summe doctus cognitus esses, itidem erga matrem Ecclesiam, quae Deum dat no-

bis habere Patrem piissimum existimari. Summa porro, ut scis, in qua sua caussa vertitur, est ille a Christo collatus Petro Primatus, in quo summa constat Christiani Populi Respublica, quove sublato, Ecclesia non erit amplius illa κοινη ημων πολις οικεμενη, sive communis nostra Civitas, quam vocat Chrysostomus (in Ps. 48.), *Sacerdotii glutino*, ut est Cypriani tropus, compactilis; sed palans Nomadum, aut Hamaxobiorum genus, quos idem memorat; sive ut loquuntur imperitissime cum haereticis rabulae nostrates, mera dicetur in Civitatis statu permissa εταιρια. Quare tantae Matris defendendae munus, debellato cum Arianis, apud te pari sollicitudine debebat excubare.

Enim vero Theologum non tralatitium, neque aretalogum, sed vere doctum, vereque catholicum, si acum inveniamus, in his duobus licebit agnoscere: in quibus sane Religionis alto coelo demissae quasi cardines vertuntur. Vnus cardo

nempe arcanus, periude quasi mens per totius conspicui corporis artus infusa, in nativa Christi Deitate constat: cuius quidem confessio numquam elabenda cum Religionis nostrae ουσιαν facit immutabilem, tum Ecclesia ipsa illam indidem indepiscitur perpetuitatem, quam ipse conditor Dei Filius in πετρω τω πρωτω inaugurando spopondit se praestiturum. Alter deinde cardo externus, atque oculis admotus, est ipse, quam detulit Petro, *Primatus* in ea populi ineuntis civitate, quam ipse condebat. Ille aeternae conditor Vrbis *Pontifex* fuit, hic Rex, qualem Davidis successio praesignificaverat; atque ex utroque coaluit illud, quod vocat Epiphanius (*haer.* XXIX. 3.) opinor, αξιωμα Βασιλικον και Αρχιερατικον, seu *regale Sacerdotium*, qui etiam pulcherrime notat, translato Iudae solio in regem peregrinum, regium αξιωμα per Christum cuius adventus eo temporis articulo praesensus fuerat futurus, ex carnali Iuda in Ecclesiam translatum

fuisse, atque Sacerdotio restitutum εις τον αιωνα. Hunc porro Primatum aeque ac perpetuam illam divinitatis Christi fidem nulla unquam delere poterit aetas, postquam semel extitit illa Barionae vox quasi omen e caelo datum (φημην dixisset Homerus *Odis.* *XX.* 98.) tum etiam ex illa Petri professione velut augurato Ecclesiae aedificandae locus in eodem Petro captus est: atque iam tum Ecclesia *super unum*, ut Cyprianus loquitur, non tam instituta quam inchoata ipsa fuit, substructo primi *Troni* (ut Chrysostomus sedem vocat Episcopalem) in tota Ecclesia Episcopatu, sive, ut idem Chrystomus ferme loqui amat; εν τη οικουμενη προστασια, idest, *totius orbis praefectura*: Quando Ignatius quidem Martyr proximus heres Apostolicae doctrinae illud nos edocet, quod χωρις επου ου καλειται Εκκλεσια, idest, *sine Episcopo non dicitur Ecclesia*; auctor sane non contemnendus prae illis tenebrionibus, qui Ecclesiam in nudo po-

puli coetu non sine horrendorum scelerum machinatione satis superque designari arbitrantur: non enim ex numero unitas, quod Massuet ad Irenaeum peccavit; sed ex unitate ad numerum Ecclesiae notio nativa *super unum* aedificata proficiscitur.

Atque ne extranea haec longeve petita videantur, persuasissimum mihi est, ex Arianis maxime, uno quasi partu prodiise utramque impietatem tam in Christum Deum, quam in eius corpus Ecclesiam; quippe quos, teste Lucifero Calaritano, non puduerit Constantio deitatis Christi insectatori importunissimo obtrudisse palpum *Episcopi Episcoporum*: eamque insaniam novissime lutulentus ille Febronius ut mimice imitaretur ad ann. cccxxiv. ridiculi chronici, vocat Constantinum, *communem omnium Episcopum*. Rem itaque vides, Vir Clarissime, quomodo se habeat, quove haec longe repetita principia spectent, quoque studia amoris erga Te mei.

Iam vero DANIELIUS, ille idem Christianae virtutis aeque ac patritae Religionis apprime tenax, idemque utriusque nostrum amantissimus, quum me expectantem praemonuisset; te id praestiturum in *Apparatu*; tum vero nihil mihi longius fuisse visum est, quam ut hunc viderem: eoque maturius mihi nec opinanti repraesentato, mirum quantum plauserim, gratiamve habuerim doctrinae pietatique tuae, quibus incoctus parenti optime meritae gratiam retulisti. Neque dum satis constitui, admirationis ne plus an voluptatis attuleris; aut vero, si nimia voluptas laetitia dicenda est, omnibus incessi laetitiis; teque quem diligebam, ita amare coepi consortem mecum earumdem magnarum veritatum, vindicemque inoffensum, ut ad eum amorem nihil iam possit accedere. Scilicet te eo sum amore complexus, quem non vinculum modo efficit earum litterarum, quae inter dissitos quoque speciem habent coniunctionis,

sed earum maxime rerum, quae cum Religionem caelo lapsam, eiusque arcem Ecclesiam spectant, tum per se ipsae eos qui voluntate eadem sunt divino etiam vinculo quodam videntur devincire. Bellum profecto, quod Caelo adversus Christum Deum Lucifer excitavit, atque ex eo seruerunt in Ecclesia succenturiati ab ipso nequissimo duce Ariani, Nestoriani, Pelagiani (unum enim idemque piaculum censeri debent), et nunc sublecti nequiores Cosmopolitae adversus Sospitatoris sponsam redintegrare non desinunt, Tu quasi alter ab illo, cuius pulcherrimum nomen habes, visus es tuis chartis profligasse. Habes itaque testimonium hoc meum de te iudicii quod ad meum sensum non prorsus hebetem, ut credo, pluribus probare possem, si cui non probaretur. Enimvero qui umbras intuentur, rem autem ipsam perspicere non possunt, iis nimius laudator fortasse videar, vel etiam quasi fluctus, ut aiunt, in sym-

pulo excitare. Sed enim nimius non viderer, nisi magnae Matris incensus amore fere offendissem homines ex ipso Ecclesiae ordine nihilo meliores, quam qui faeces a Lutheranis, vel Calvinianis combibonibus eiectas lambere assueti, eas in omnium oculis in ipsam Ecclesiam evomunt ingratissimi, vereque scelesti, in matris viscera saevientes. Hoc intollerabile, illud vero non ferendum, quod videas interdum etiam historicos ignavissimos, qui Volusianos annales si consarcinent, tamen sola criminandi et obtrectandi facilitate et garrulitate fortes, in Petri ipsos successores (quos a Cathedra Apostolica quadam aranearum cassi praescindere simulant) quasi Dianae ira correpti bacchantur. Quod certe illud assequuntur, ut innumeri nugarum lectores, quod exemplo vident fieri ab catholici nominis scriptore, id etiam recte putari et jure fieri sibi persuadeant.

Nam quid ego de rabulis audacissi-

mis, qui si unquam . . . . Ecclesiae vadatae respondere debeant, centones consuunt sine metu Arae Lugdunensis. Hi Clericos, quasi in humanae societatis praedones inciderint, ut incessant, contemtim res Theologicas iure quasi suo sibi arrogant tractandas, quae nempe tam sunt habiles, et aptae ad suum captum, quam ad vulturem, ut Graeci aiunt, lusciniam imitari. Hos videas explorate pronunciare de Ecclesia quasi tibicinum sit hetaeria, vel fidicinum, qui sacris publicis praesto sint, atque Episcopus quasi eorum sit procurator, vel magister Quinquennalis: tum etiam quasi eius unitas ex capitis, sive *matricis*, et *radicis*; ut Cyprianus vocat, unitate efflorescens, adscita ea sit non nativa, et primigenia iam inde a Petri inauguratione sata a conditore, formam suam, ex democratica, vel aristocratica imagine in monarchicam, qua nunc est, descivisse. Itaque si aliquid in ea sit offensum (homines enim su-

mus) ipsos videas adeo magnis animis in Ecclesia exagitanda, ut eos τω εν χυμη ονω quidam vir bonus dicendi peritus assimilaret, ipsamque Ecclesiam leoni aegrotanti comparaet. Frustra autem conarere evellere ex suo cerebro hanc ceu caprificum, se esse proclamatores doctissimos. Quod si velles, ut ego quondam, illis praetendere vel ipsius Iustiniani Novellam XLII. vel Graeca illa ex VI. μεγιστα τα δωρα Θεε, ιεροσυνη τε και Βασιλεια, antequam explices: *maxima dona Dei Sacerdotium et Imperium*, quasi mamurium dixeris exhorrebunt: interea dum his naeniis, quibus ludibrio esse deberent, quasi per latrocinia nituntur ad nominis celebritatem. Hanc quippe quadam temporis iniquitate fere ducunt επιτομον εις δοξαν την οδον, ut olim Lucianus aiebat.

Quin quod αγελατος rideret, saepe vidi de Religione, deque Christi Ecclesia, deque eius *radice*, atque *matrice* Papa Romano tamquam non necessario, et

fortasse noxio bene ocreatos Thrasones decernere, beatos illos et quietos, quibus otio et luxuria diffluentibus larga haec Deus otia fecit: quo genere nihil in Deum και την εξουσιαν τεταγμενην υπο Θεου ingratius, dum larga merent οψωνια, ut elegans vocabulum Pauli Apostoli usurpem. Hos ego caveo de sanctis rebus collocuturus; postquam enim latina verba de Petro, et Clavibus solaecismis infecta protulerunt, velut saliaria assamenta, si velis hinc veram frugem ingerere, vel patiare ridentes ore catuli Gallicani, vel dolebis oleum operamque perdidisse item atque cum dormitantibus. Hi nempe omnes linguam latinam velut medentium pocula aversantur.

Utinam vero grassantem ubique damnatorum librorum cursum Imperia inhiberent, eaque lectio imposita animadversionum severitate prohiberetur! Hinc enim derivata clades fluxit in forum, atque adeo in tunicatum popellum. Qui enim muneribus inhiant, atque ex dissylabis

τετρασυλαβοι fieri cupide volunt, ut possint plebeculae videri esse doctissimi, coemunt crassos libros hoc uno delectu, si bene a librariolis malleatos, et glutinatos videant cum toga extrorsum versicolore, et colore croceo, aut purpureo, et indice aurato quorum emptione, et tactu secerni populo, diisque misceri putant, dum miselli rudes et imparati tetra inde hauriunt venena, olim Ecclesiae Religionique nocitura.

Ne me quaeso, Doctissime Lupule, των καρκαρων putes ita paulo liberius, aut vero libere loquentem. Nam mihi dia veritas Dei Optimi Maximi beneficio una in amore atque in deliciis semper fuit, eritque, dum vita supersit, tecum litare, mihi certum est. Itaque ut Parrhesiadem compilare pergam (in Piscatore) μισαλαξων ειμι, και μισογοης, μισοψευδυς, και μισο τυφης; και μισω παν το τοιυταδες ειδος των μικρων αντρωπων παν. Sunt vero multi ut nosti; et quae est turbulenti temporis calamitas in oppidis,

atque adeo in pagis colluvies ebullit horum illitteratorum ex eorum sentina, qui nacti isthic fumum doctrinae scholas explicant in locis frequentioribus, quos si monere velis desinant furere, caniculis offendes iracundiores, ut dicam etiam cum Parrhesiade, asinis petulantiores, gallis contentiosiores, nedum non audient. Qui si undique non obstreperent, ego mea me tenuitate involvens αφωνετερος των ιχθιων essem. Sed cum tanta videas, difficile est non indignari. Vtinam vero certorum hominum ignorantia aut oscitantia tuo ad minimum *Apparatu* tamquam venustissimo Enchyridio illecti respiscerent! Habes igitur, Vir Clarissime, quatenus meae tenuitatis sensus continuerit, quin hoc tibi quicquid est gratulationis significaverim de tuis lucubrationibus, quibus nempe unus ornatissimus rem Theologicam penes nos quodam absurdi temporis vitio labefactatam visus es in statu collocasse.

Sed enim ut expediam exitum huius gratulationis, et institutae querelae, illud postremo a Te impetrare vellem, uti in operis progressu, ubi huiusmodi nebulones offenderis, ne sinas blaterare inultos. Praesertim vero ut castiges quemdam sublingionem de Religionis reformatione praecipientem, personatum nomine *Philosophi Germani*, ut videas in ipso titulo ridiculum, et ineptum, allegantem *Philosophi* nomen ad Religionem. Is quatuor, sexve PIO VI. inscriptis pagellis foedissimis, nec piperi bonis, neque schombris, ausus est eruditissime scilicet explicare, nostrum Divorum cultum a saeculo demum quinto irrepsisse in Ecclesiam. Hominem opinor nosti, qui item ut est audax, et impudens, sic est ruris plenus et inficetiarum, atque legislatoris sumpto supercilio, sic in sacris rebus est hospes, ut ne de Iuliano τῳ παραβατῃ quidem audiverit adhuc: illud objecisse Galilaeis, quod a cultu Deorum ad colen-

dos homines mortuos, eorumque ossa, et cineres defecissent. De hoc ergo peto ut videas suo loco.

Praeterea cum tempus observaveris, operae pretium videatur tibi aliquid iniicere de illis quasi militibus Pistoriensibus seu potius lixis, ad graeculorum instar tectis, iis tamen ita truculentis, et insanis, ut diu Ecclesiam infestam habuerint: quorum stultitias si Pius VI. sanctissima, atque elegantissima bullā expiaverit; tamen et tuae doctrinae et pietatis est, tuam quasi manum iniicere in Cordis Iesu cultum, quo nihil uberius ad Christianam frugem. Scis enim diu in fluminis stellae vadis auditos διψοντας κεκεκριμεναι χησχριου Βατραχȣ (κατα) δικην; si imaginem Parrhesiadis licebit arcessere: ita adeo de hac pietate inficete calumniantes, veluti penes nos, quibus *cordicolarum* salsum probrum ingerunt (ludendi enim venustate ne stercutio quidem cedunt), quasi post factam a nobis ex divino corpore visce-

rationem, nobisque ea praecipua totius corporis parte potitis, ab eadem revera sejungenda sit illa pariter Dei Salvatoris adoratio, quam individuam eamdemque, cum propria eiusdem carne esse debere post Patres omnes Apollinaristarum profliges Synodi V. scita sanxerunt.

Tum vero, ubi fuerit satis in loco, ut purges, rogo, putidum illud excretum cerebri Harduini ab his sublingionibus arreptum de Filii Dei nomine, quod Verbo tantum ab Incarnatione adhaeserit adscitum.

Tum demum ut videas de contemto ab istis, insuperque habito *Transubstantiationis* vocabulo, quod fere κατα λεξιν ex Graecis Patribus deductum, ad rectae fidei tesseram dedicatum est a Tridentino; quae portenta cum cetera sua audacia, suo ingenio, vel hebeti, vel petulco, vel potius monstri aliquid alenti tribuere opus erit. Quantum vero detrimenti ex his accipiat Ecclesia non

te praeterit: praesertim quod multitudini hae pestes hominum πιθανώτεροι videantur: omnia *enim stolidi*, ut Lucretius ait, *magis admirantur amantque, inversis quae sub verbis* (qualis habet Quesnellianus grex) *latitantia cernunt.* At tuo stylo cum incideris in horum insanias, si in illis castigandis nec loci, nec temporis facultates praetermiseris, quae a me vix sunt adumbrata, expressiora, et illustriora futura sunt. Haec autem non idcirco tibi scribo quod tibi auctor esse posse putem, aut quod mihi sumo, quod plus ipse perspicio, quam tu pervideas; vel etiam quasi ignoto tibi, haec ut nota facerem: sed tantum operi apprime venusto quodque mihi, doctisque omnibus adeo facit ut nolim deesse quicquid Ecclesiae res videatur postulare. Omnia vero huius causa uterque velle debemus, cui qui nolunt, iidem nec recti Theologi laudem merentur, nec filiorum Ecclesiae nomen genuinum possunt tueri. Huic adeo uni

cupio; quae omnes ingenuos catholici hominis amores complectitur; nihil amplius: cetera enim, mihi aetate iam ingravescente de lucro vivere, meisque latebris contento licebit esse.

Interim Tu macte esto virtute; Vir Clarissime perfungere perpetuus opere instituto, neve sancta nostrorum maiorum religio, et Ecclesia tuis utilitatibus careat, sic vive. Vale, et Danielio nostro, cui sua suavitas, et religionis candor cum interioribus litteris raro exemplo coniuncta utrumque nostrum devinxerunt, salutem dic. Iterum Vale.

Theani Pr. Idus Septembr. MDCCXCVI.

INDEX

CAPITUM ET SECTIONUM



SCHEDIASMA DE CONCEPTU VIRGINIS.

